22
C
47

6
10-f
42

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 A
44

[B]ibliotheca
[] Coll. Rom.
[So]ct. Jesu

22 - c - 32

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. P. ROMA VITTORIO EMANUELE



S·FRANCISCVS XAV·IND·APOST.
ſcribens ad ſocios .

Equidem libenter ſeruum me in perpetuũ addicam ijs, qui huc (in INDIAM) profecti ſuam operam communis Dñi. uineæ addixerit. lib.p.° ep.p.°

Digitized by Google

ORATIONES.
AC PRÆLECTIONES
P. LEONARDI CINNAMI
E SOCIETATE IESV CAMPANI,

Apud Indos apoſtolicam vitam agentis,

P. IOANNIS PETRI PASCHALIS
eiuſdem Societatis itidem Campani
opera, ac ſtudio collectę,

AC DIVO

FRANCISCO XAVERIO

Indiarum Apoſtolo dicatæ.

Bibl: Sec Coll: Rom: Soc Jesu

Neap. Typis Lucæ Antonij de Fuſco 1671.
Superiorum Licentia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

S. FRANCISCO
XAVERIO
SOCIETATIS IESV
Orientis Apoſtolo,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVamcunque inſides Cęli partem, huc numen tantiſper aduerte tuum, ò magne expiatæ barbariæ aſſertor, illuſtratique meliori face ſol alter Orientis, Franciſce Xaueri; te, tuumque nomen, & auſpicium poſcit operis huius tibi vni debita nuncupatio, cui ſe totum ſtu-

Digitized by Google

ſtudij aque omnia ſua iam olim iurato fœdere mancipauit ope‐ris autor. is enim ille eſt, qui de‐ſiderijs omnibus eò diu veliſi‐catus, vt tua quandoque pro‐piùs inſiſtere liceret veſtigia, cum primùm voti compos ef‐fectus eſt, ſui non tam gaudij, quàm triumphi illud effinxit emblema: ſe ipſe, qualis in pri‐ma operis fronte apparet, ex‐primi fecit, tuo peregrinantis bacillo incumbentem. Et quã‐uis contra eam profectionem vniuerſa veniret punctis omni‐bus prouincia, cauſaſque pro ſe magnas opponeret, nec ſine ſenſu ingenti doloris hominem planè egregium, ac ſingularem abſtrahi à ſe pateretur; tibi ta‐men aliter viſum, qui vnius

pre-

preces, ac vota, fruſtra noſtrum omniũ cõtrà nitentibus ſtudijs, valere iuſſiſti. Tuq; ipſe ſummo noſtri Ordinis moderatori eã afflaſti mẽtem, vt diceret, *Eat, Dominus vult eum.* Iam verò ad Indicas expeditiones, ad tua ſcilicet caſtra, per quæ iacta hic inter nos virtutum tyrocinia, deuenit à? Et nos quidem, qui eo familiariter vtebamur, eiuſque penitiora diligentius ſcrutabamur arcana, animaduertimus, nunquam amplius carne, nunquam piſcibus paſtum eſſe, nequidquã intereà, præmiſſis, quæ cibo ſolent, geſtibus, fallaciã ſpectantiũ oculis meditãte modeſtia; quod verò ſupereſſet obſonij, per amarulenta neſcio quæ furtim ingeſta, vt eſt

ingenioſa in pœnam abſtinentia, corrumpere ſolitum; nunquam ſediſſe; nunquam ſtrato cubaſſe in lecto, ſed complicata ad medium culcitra, quod inde exſtabat ligni, prementẽ, inquietaſſe verius ſomnos, quã captaſſe, perque breuiſſimam quietem longa tormenta quæſiuiſſe. cilicio à vertice ad calcem, vix quoquam deprehendente, induebatur; neque verò hoc vno ſupplicij genere, ſed multiplici feriendi, cruciandique inſtrumento, ſuis etiam, vbi cætera deeſſent, manibus ſe immaniter vellicando, artus ipſe ſuos continenti pœnarum tenore vexabat, alijs vſque, & vſque inhians cruciatuum formis: vultu nihilò minus ad gau-

dium,

dium, hilaritatemque compoſito, quas prægustabat animo beatitatis venturæ delicias, facie præferebat. Eo vno videlicet viuebat deſiderio, vt emẽſo, qui interijciebatur, Oceano, in barbaris quandoque regionibus ſementem Euangelij faceret: id vnum ſpirabat votum; ea alebatur ſpe; laborumque Indicorum vel ſola meditatione ſuſtentabatur: hinc illa geſtientis pectoris vox, vbi venia eò abeundi primùm eſt data, Indum ſe omni ex parte feliciſſimum prædicantis. Quam merito igitur iure, Xaueri Sanctiſſime, tibi ſe debet vni autor, & opus? Et ſiquidem charitatis diuinæ flamma, qua omnes quotquot ſunt, Indicos tractus

incendere in animo tibi fuit, ſeruum te libenter in perpetuũ addixit ijs, qui in Indiam profecti, ſuam operam communis Domini vineæ addixerunt; quã benè te ſibi ducem, te tutelarẽ adſciſcunt, tibi ſe, ſuaque nexu quodam obligant, quicunq; relictis à tergo Gadibus, tua per veſtigia ad eas pergũt ignotarum gentium plagas, quas ipſe princeps, abolita veteri ſuperſtitione, ſacro Religionis radio perluſtraſti. Ergo iſtuc qualecumq; obſequium, quæ tua benignitas eſt, non dedignaberis; libenſque dabis, vt ad tuum patrocinium vnà cum opere, autoreque, accedam & ipſe

Ioannes Petrus Paſchalis Societatis eiuſdem Campanus.

INDEX
ORATIONVM,
AC PRÆLECTIONVM,
Quæ in hoc volumine continentur.

1 *IEricho proſtata, ſiue in illud Ioſ. VI. Omni populo vociferante, & clangentibus tubis, muri Iericho illico corruerunt. Prælectio* p*ag.* 1.

2 *Sapientiam, barbarorum incurſionibus extinctam, Neapoli reuixiſſe. Oratio* 34.

3 *De aſpiratione. Præfatio.* 66.

4 *De imitatione. Præfatio* 85.

5 *De Hiſtoria. Præfatio* 105.

6 *Gallus. Præfatio* 127.

7 *Sapientum, inprimis Grammatico-*

ticorum ſympoſium in Delphica villa. Præfatio 146.

8 *Campana ſerpens, ſiue Capua inſtaurata. Oratio* 160.

9 *Societas Ieſu, vt par nomini Ioſue, ita & prodigijs par. Oratio* 187.

10 *Cælitum ex Athenarum ſimilitudine in Societate Ieſu cognominanda certamen. Oratio* 212.

11 *In apotheoſi SS. Ignatij, & Franciſci. Ara. Oratio.* 234.

12 *In apotheoſi SS. Ignatij, & Franciſci, Ignis in ara. Oratio* 252.

13 *Elementa B. Aloiſio officioſa; Tellus. Oratio* 268.

14 *Aqua. Oratio* 285.

15 *Aer. Oratio* 304.

16 *B. Stanislaus & pulſus, & repetitus à fratre. Oratio* 324.

17 *B. Stanislaus inuentus à fratre, nec exceptus: Oratio* 340.

18 *Cæleſtis amoris venatio, ſed ſine canibus, ſiue B. Stanislao, poſt pulſum Cerberum Euchariſtia ab Angelis miniſtratur. Oratio* 354.

19 *Ca-*

19 *Cæleſtis amoris venatio, ſed ſine curſu, ſiue B. Stanislao decumbenti, à SS. Virgine diuinus puer affertur. Oratio 372.*
20 *De P. Marcello Franciſco Maſtrillo. Oratio 389.*

Igna-

Ignatius Moncada Societatis Ieſu Præpoſitus Prouincialis Prouinciæ Neapolitanæ.

Cum librum cui titulus, (*Orationes ac prælectiones P. Leonardi Cinnami Campani noſtræ Societatis*) tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, nos, poteſtate nobis facta à P. N. Ioanne Paulo Oliua Præpoſito Generali, facultatem, vt in lucem edatur, concedimus, ſi ijs videbitur, ad quos editio librorum ſpectat. Capuæ die 22. Mēſis Nouembris 1670.

Ignatius Moncada.

In Congregatione habita coram Emi-
nentiſſimo Domino Cardinali Carac-
ciolo Archiepiſcopo Neapolitano ſub
die 23. Decembris 1670. fuit dictum, quod
R. P. Carolus Lombardus videat, & in
ſcriptis referat eidem Congr.

Metellus Talpa Vic. Gen.

Franciſcus Guarinus Soc. Ieſu.
Congr. Indic. Secr.

EMINENTISSIME, AC REVE-
RENDISSIME DOMINE.

Vidi, te iubente, opus, quod inſcribitur (*Orationes P. Leonardi Cinnami &c.*) nec quidquam in eo orthodoxæ fidei, aut bonis moribus abſonum offendi, quin omnia, quæ in eiuſmodi volumine continentur, virum de Chriſtiana rep. optime meritum, & etiam num, ſi ſuperis placet, merentem, decere arbitror. Quã ob rem illud ad politioris literaturæ, eloquentiæque incrementum, publica luce dignum ſtatuo, niſi Dominationi tuæ Eminentiſſimæ ſecus videbitur. Neap. die 10. Ianuarij 1671.

Dom. veſtræ Eminentiſſimę, ac Reuerendiſs.
Humillimus, & addictiſſimus ſeruus
Carolus Lombardus Cong. Oratorij Dep.

In

In Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiep. Neapolitano ſub die 22. Ianuarij 1671. fuit dictum quod ſtante relatione facta per reuiſorem Deputatum, Imprimatur.

Metellus Talpa Vic. Gen.

Franciſcus Guarinus Soc. Ieſu

Congr. Indic. Secr.

Re-

Google

Reuerendus P. Antonius Damianus videat, & in ſcriptis referat.

Galeota Reg. Carrill. Reg. Capibl. R. Ortiz Cortez Reg. Valero Reg.

Prouiſum per Suam Excell. Neap. die 15. Decembris 1670.

Lombardus.

ILLVSTRISS., ET EXCELL. DOMINE.

P. Leonardi Cinami è noſtra Societate opus, cui titulus, *Orationes* &c. iuſſu Excellentiæ veſtræ perlegi, nihilque quod Regię Iuriſdictioni, nihil quod politico aduerſetur regimini, offendi; imo ita ingenioſè, fabertimeque elaborata omnia, vt è Republica præſertim oratoria, quàm maximè ſit ea prælo donari: quà ad amplificandam eloquentiæ gazam, quà ad religioſiſſimi Auctoris memoriam, ſextum iam propemodum luſtrum ad Orientis Solis Indos, etiam num (ſi ſuperis placet) nauiter ſatagentis, excitandam: dignoſcatque ſera poſteritas, quem virum Neapolitana Prouincia in Ethnicorum commodum benè prodiga erogarit; qui virtutum chorum, atque omnigenæ literaturæ cenſum; hoc eſt, ſe ipſum in Indias portans, eodem non Religionem dumtaxat, atque pietatem, ſed & literarum cultum, & præcipuè humaniorum manceps operoſus in-

ve-

vexit. E domo Profeſſ. Neapol. Calendis Ianuar. 1671.

Dominationis veſtræ Ill. & Excellentiſs.

Seruus humillimus,
Antonius Damiani Soc. Ieſu.

Viſa ſupraſcripta Relatione Imprimatur: verùm tempore publicationis ſeruetur Regia Pragmatica.

Galeota Reg. Carrill. Reg. Capibl. R.
Ortiz Cortez Reg. Valero Reg.

Prouiſum per Suam Excellentiam. Neap. die 23. Ianuarij 1671.

Lombardus.

HIERICO
PROSTRATA
SIVE

illud Ioſ. VI. Omni populo vociferante, & clangentibus tubis, Muri Hierico illicò corruerunt.

PRÆLECTIO
HABITA NEAPOLI IN COLLEGIO SOC. IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INter eos belli tumultus, quibus noſtri ſeculi vel furore, vel malo Europa vniuerſa concutitur, nefas eſt, AA. non inter arma verſari. Illuſtriſſimam Ioe palmam, Hierichuntis munitiſſimæ rbis excidium vobis aperiam, noſtroum militum, cum piè militauerint, lau-i: cum impiè, documento. Hinc licet nimaduertant, quid ſperent ſubinde;

quid metuant; etenim è maximo imperatore diſcent, quo pugnent modo, quo vincant. Diſcent ex impiæ vrbis exitio bellorum euentus, vbi munitiſſima quęque infirmiſſima ſæpe ſunt. Illinc Cælo duce nil non audendum: hinc vero Cælum contra pugnantibus nil non timendum, intuebuntur. Illinc facile triumphari videbunt, cum ſcelera vindicantur; tunc enim & Superum manu pugnatur, & noſtra; hinc quam nulla humana conſilia, quam fragile robur ſit. Interea in murorum ruina Hebræorum gloriæ trophæum erigamus; feſtoque clamore plaudamus victoriæ, quam clamores pepererunt. Tam feliciter vnquam nemo triumphauit: alijs bello opus eſt; Ioſue belli ſignum ſatis fuit, vt vinceret. Vnus hic triumphum ante pugnam canere potuit, cum cantus ipſe triumphus fuerit; etenim cum ea eſſent mœnia, vt arietum pulſus non extimeſcerent ex
l.7. in Ambroſio, ceſſere cornibus arietinis,
10. Luc. quibus Iudęi in tubas abuſi ſunt. Ex Hebræis à certamine nemo deſideratus; ex Hierichuntinis nemo ſuperfuit. Mars hic tantum communis eſſe dedidicit. Nec illi cadere poterant, nec hi non cadere. Tantum cauſa vna pondus habet

in

in pugna. Triumphus omnino, quòd legerim, inſolens, è ſacris petitus monumentis, hic eſt.

Iam ex Aegypto Cælitum ductu in Cananeam regionem properātibus Hebræis ſicco Iordanis alueo repente conſtiterat, vel ſanctiſſimam gentem reueritus, vel vt Erythræum pelagus æmularetur ſub iiſdem incedentibus patefactum: cum Ioſue, qui nuper flumina ſtare viderat, Hierichuntina ſaxa viſurus trepidare, caſtra in Galgalis metatus eſt. Timor interea, potentiæ aſſiduus comes, proximos Reges inceſſerat. Hebræorum incrementa ſuis in ceruicibus ſurgere videbantur; cùm noui ortus Imperij veterum occaſus vbique ſit. Hic Ioſue conſueta principibus arte ad luſtrandam regionem præmittit ſpeculatores, vel vt hoſtes ſuorum fama excitatos, ac fortaſſe in inſidijs diſpoſitos veſtigarent, vel vt ſoli opulentiam famam nobilem, Superumque promiſſis ad accendendos in prædam ſuos aduerterent. Properant illi in apertum diſcrimen, ſed vilis anima eſt cum pro patria laboratur; properant, inquam, atque vrbem alioqui munitiſſimam (quid inſſium ſpeculatoribus!) facillime penetrant. Ve-

rum timidiſſimæ genti omnes hoſtium motus aucupanti, aduentus illico innotuit. Mulieris tamen aſtutia in ſubitis caſibus ſemper ingenioſæ militibus conſultum eſt, quæ Iudæorum fama, quòd Cælitum monitu adeſſe vulgarentur, vt ſibi, capta vrbe, parceretur, beneficium conferre occupauit. Illi penè captiui, iam liberi caſtra repetunt. ſocij periculis gratulantur, quæ iam exacta in gaudij ſegetem cedunt in tuto conſtitutis.

Tum Ioſue in agmen diſponit ſuos, vt vrbi admoueatur: Hierichuntini externę gentis curioſitate ducti, quà turribus ſuſpenſi, quà pinnis, quà celſiſſimis tectorum faſtigijs, quo mox caſuri erât, populum mirabantur. Ipſe ad vrbem pelles explicât: caſtra vallo, foſſaque communit: diſpoſitiſque vigilijs, noctem precando traducit de Hierichuntis expugnatione ſolicitus. prima pugna cómittebatur: primis facinoribus ducem metiri & à ſuis, & ab hoſtibus nouerat: primo ex certamine illam pendere opinionem, qua milites ducuntur, ac Duces regunt: ſed nihil deſperare propitio Cælo. Diluculo vallum ſuperat vrbis ſitum, munitioneſque proximè intuiturus,

rus, fidendum ſpeculatoribus parum ratus, vbi luſtrare cuncta liceret imperatori. Caſtra vix egreſſo Cæleſtis militiæ Dux præſtò eſt, à quo præclariſſimus alioqui Dux iuſſus nudis pedibus humi conſiſtere. Miſeri mortales in Cælitum conſpectu quam nulli ſumus! Idem ait, ſuo conſilio, ſua vi mox æquanda ſolo mœnia Hierichuntina; gentem diſponeret non in pugnam, ſed in prædam, ac ſingillatim aperit vel certaminis modũ, vel victoriæ.

Ex his Ioſue educit è vallo ſuos: diſponit militum ordines: vrbis ambitum ſemel obit; atque interim ſilentium & imbellibus imperat, & bellicoſis; vel ne diuina conſilia hoſtibus proderentur, vel ne militari licentia maledictis Hierichuntinos inceſſerent, quod licet familiare militibus ſit, tam pio exercitui nefas videbatur; tamen nihil roboris adimit, adempta voce. fluminũ enim ſpeciẽ referebãt, quę quò altiora sũt, eò minore ſonitu prolabuntur, ac ferarum inſtar eò plus ſpirabant minarum, quò minus fatiſcebant. Videre igitur erat hac Hebræos incedere, illac Hierichuntinos conſiſtere, ſed vtroſque obmutuiſſe; cum noſtris tamen imperium, hoſtibus

 pa-

pauor ſermonem abrumperet; illis enim ſpe victoriæ, his expectatione ruinæ vox hæſerat.

Inter hæc quaſi pugnam commiſſuri inſonuere cornibus ſacerdotes, ſed fruſtra. Quippe Hierichuntini potius muro, quam gladio fidere, vt tutius agerēt, tutari ſe tantum, in pugnam potius cogi, quam prodire voluerunt; denique hæc ſecum agitare: Quid incerta ſequimur, & intuta? vna in obſidione ſpes eſt. pugnæ diſcrimen ſequantur, quibus aut eſt pugnandum, aut moriendum; nobis domi ſedentibus victoria. Surgunt altiſſimè mœnia: per interualla celſiſſimæ turres, & firmiſſima propugnacula promittuntur. Foſſa in immenſam altitudinem demiſſa mœnibus circumducitur. an milites metuemus, cum volucribus ipſis imperuij ſimus? intus vilis annona, horrea ſoli fertilitate exundantia, fida plebs maximum in obſidionibus munimentū, adempto defectionis metu; quòd hoſtis & nouitate generis inuiſus, & prodigiorum fama non tam admiratione grauis, quam inuidia. Sunt etiam præ manibus harpagones; è mœnibus tomenta, & culcitæ demittuntur, baliſtis, atque arietibus occurſura; ingens iacu-

culorum vis,inſana pondera,& montiũ fragmina, & quidquid aggreſſuros milites propellat,in pinnis diſpoſita; omne armorum genus pro munita vrbe abunde parata cumulant armamentaria. Cæterum longa die hoſtium patientia fatiganda ſi nõ armis,diuturnitate certe periculorum, & commeatuum inopia,abducta è vicinis regionibus annona, hoſtes cadent. Multi ſunt,verum gens eſt, non exercitus. mixtæ militibus fæminę, paruulique; quis in tam vili turba ſpiritus martialis? Aegypti perfugæ ſunt ſeruitiaque. Quid? ſecunda ſunt illis Numina? ſæpe etiam defatigantur. Alia, præſunt hic aſtra,in Arabię deſertis alia. vel certè faueant ſua numina Hebræis, habẽt etiam Hierichuntini Penates ſuos. Narrant miracula, prodigiaque; ſunt hæc ad populi captum fabellæ compoſitæ. narrantur iſta,vbi teſtes nulli ſunt. Tum hæc vulgo facile & audiuntur, & augentur. Age iam gentium omnium initia prodigijs clara. conſueta ſunt iſtęc ducum artificia,ita ſibi maieſtatem apud ſuos,apud exteros famam aucupantium. Quis interea non rideat ad expugnandã vrbem Arcas afferri? hoccine genus catapultarum ex Aegypto traſportauerunt?

In Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiep. Neapolitano ſub die 22. Ianuarij 1671. fuit dictum quod ſtante relatione facta per reuiſorem Deputatum, Imprimatur.

Metellus Talpa Vic. Gen.

Franciſcus Guarinus Soc. Ieſu

Congr. Indic. Secr.

Re-

Reuerendus P. Antonius Damianus videat, & in ſcriptis referat.

Galeota Reg. Carrill. Reg. Capibl. R.
Ortiz Cortez Reg. Valero Reg.

Prouiſum per Suam Excell. Neap. die 15. Decembris 1670.

Lombardus.

ILLVSTRISS., ET EXCELL. DOMINE.

P. Leonardi Cinami è noſtra Societate opus, cui titulus, *Orationes* &c. iuſſu Excellentiæ veſtræ perlegi, nihilque quod Regiæ Iuriſdictioni, nihil quod politico aduerſetur regimini, offendimus; imo ita ingenioſè, fabertimeque elaborata omnia, vt è Republica præſertim oratoria, quàm maximè ſit ea prælo donari: quà ad amplificandam eloquentiæ gazam; quà ad religioſiſſimi Auctoris memoriam, ſextum iam propemodum luſtrum ad Orientis Solis Indos, etiam num (ſi ſuperis placet) nauiter ſatagentis, excitandam: dignoſcatque ſera poſteritas, quem virum Neapolitana Prouincia in Ethnicorum commodum benè prodiga erogarit; qui virtutum chorum, atque omnigenæ literaturæ cenſum; hoc eſt, ſe ipſum in Indias portans, eodem non Religionem dumtaxat, atque pietatem, ſed & literarum cultum, & præcipuè humaniorum manceps operoſus in-

ve-

vexit. E domo Profeſſ. Neapol. Calendis Ianuar. 1671.

Dominationis veſtræ Ill. & Excellentiſſ.

Seruus humillimus,
Antonius Damiani Soc. Ieſu.

Viſa ſupraſcripta Relatione Imprimatur: verùm tempore publicationis ſeruetur Regia Pragmatica.

Galeota Reg. Carrill. Reg. Capibl. R.
Ortiz Cortez Reg. Valero Reg.

Prouiſum per Suam Excellentiam. Neap. die 23. Ianuarij 1671.

Zombardus.

Digitized by Google

HIERICO PROSTRATA

SIVE

In illud Ioſ. VI. Omni populo vociferante, & clangentibus tubis, Muri Hierico illicò corruerunt.

PRÆLECTIO

HABITA NEAPOLI IN COLLEGIO SOC. IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INter eos belli tumultus, quibus noſtri ſeculi vel furore, vel malo Europa vniuerſa concutitur, nefas eſt, AA. non inter arma verſari. Illuſtriſſimam Ioſue palmam, Hierichuntis munitiſſimæ vrbis excidium vobis aperiam, noſtrorum militum, cum piè militauerint, laudi: cum impiè, documento. Hinc licet animaduertant, quid ſperent ſubinde;

quid metuant: etenim è maximo imperatore diſcent, quo pugnent modo, quo vincant. Diſcent ex impiæ vrbis exitio bellorum euentus, vbi munitiſſima quęque infirmiſſima ſæpe ſunt. Illinc Cælo duce nil non audendum: hinc vero Cælum contra pugnantibus nil non timendum, intuebuntur. Illinc facile triumphari videbunt, cum ſcelera vindicantur; tunc enim & Superum manu pugnatur, & noſtra; hinc quam nulla humana conſilia, quam fragile robur ſit. Interea in murorum ruina Hebræorum gloriæ trophæum erigamus; feſtoque clamore plaudamus victoriæ, quam clamores pepererunt. Tam feliciter vnquam nemo triumphauit: alijs bello opus eſt; Ioſue belli ſignum ſatis fuit, vt vinceret. Vnus hic triumphum ante pugnam canere potuit, cum cantus ipſe triumphus fuerit; etenim cum ea eſſent mœnia, vt arietum pulſus non extimeſcerent ex
l.7. in Ambroſio, ceſſere cornibus arietinis,
10. Luc. quibus Iudęi in tubas abuſi ſunt. Ex Hebræis à certamine nemo deſideratus; ex Hierichuntinis nemo ſuperfuit. Mars hic tantum communis eſſe dedidicit. Nec illi cadere poterant, nec hi non cadere. Tantum cauſa vna pondus habet

in

in pugna. Triumphus omnino, quòd legerim, inſolens, è ſacris petitus monumentis, hic eſt.

Iam ex Aegypto Cælitum ductu in Cananeam regionem properãtibus Hebræis ſicco Iordanis alueo repente conſtiterat, vel ſanctiſſimam gentem reueritus, vel vt Erythræum pelagus æmularetur ſub ijſdem incedentibus patefactum: cum Ioſue, qui nuper flumina ſtare viderat, Hierichuntina ſaxa viſurus trepidare, caſtra in Galgalis metatus eſt. Timor interea, potentiæ aſſiduus comes, proximos Reges inceſſerat. Hebræorum incrementa ſuis in ceruicibus ſurgere videbantur; cùm noui ortus Imperij veterum occaſus vbique ſit. Hic Ioſue conſueta principibus arte ad luſtrandam regionem præmittit ſpeculatores, vel vt hoſtes ſuorum fama excitatos, ac fortaſſe in inſidijs diſpoſitos veſtigarent, vel vt ſoli opulentiam famã nobilem, Superumque promiſſis ad accendendos in prædam ſuos aduerterent. Properant illi in apertum diſcrimen, ſed vilis anima eſt cum pro patria laboratur; properant, inquam, atque vrbem alioqui munitiſſimam (quid inuium ſpeculatoribus!) facillime penetrant. Ve-

rum timidiſſimæ genti omnes hoſtium motus aucupanti, aduentus illico innotuit. Mulieris tamen aſtutia in ſubitis caſibus ſemper ingenioſæ militibus conſultum eſt, quæ Iudæorum fama, quòd Cælitum monitu adeſſe vulgarentur, vt ſibi, capta vrbe, parceretur, beneficium conferre occupauit. Illi penè captiui, iam liberi caſtra repetunt. ſocij periculis gratulantur, quæ iam exacta in gaudij ſegetem cedunt in tuto conſtitutis.

Tum Ioſue in agmen diſponit ſuos, vt vrbi admoueatur: Hierichuntini externę gentis curioſitate ducti, quà turribus ſuſpenſi, quà pinnis, quà celſiſſimis tectorum faſtigijs, quo mox caſuri erãt, populum mirabantur. Ipſe ad vrbem pelles explicàt: caſtra vallo, foſſaque communit: diſpoſitiſque vigilijs, noctem precando traducit de Hierichuntis expugnatione ſolicitus. prima pugna cõmittebatur: primis facinoribus ducem metiri & à ſuis, & ab hoſtibus nouerat: primo ex certamine illam pendere opinionem, qua milites ducuntur, ac Duces regunt: ſed nihil deſperare; propitio Cælo. Diluculo vallum ſuperat vrbis ſitum, munitioneſque proximè intuiturus,

rus,

rus, fidendum ſpeculatoribus parum ratus, vbi luſtrare cuncta liceret imperatori. Caſtra vix egreſſo Cæleſtis militiæ Dux præſtò eſt, à quo præclariſſimus alioqui Dux iuſſus nudis pedibus humi conſiſtere. Miſeri mortales in Cælitum conſpectu quam nulli ſumus! Idem ait, ſuo conſilio, ſua vi mox æquanda ſolo mœnia Hierichuntina; gentem diſponeret non in pugnam, ſed in prædam, ac ſingillatim aperit vel certaminis modũ, vel victoriæ.

Ex his Ioſue educit è vallo ſuos: diſponit militum ordines: vrbis ambitum ſemel obit; atque interim ſilentium & imbellibus imperat, & bellicoſis; vel ne diuina conſilia hoſtibus proderentur, vel ne militari licentia maledictis Hierichuntinos inceſſerent, quod licet familiare militibus ſit, tam pio exercitui nefas videbatur; tamen nihil roboris adimit, adempta voce. fluminũ enim ſpeciẽ referebãt, quę quò altiora sũt, eò minore ſonitu prolabuntur, ac ferarum inſtar eò plus ſpirabant minarum, quò minus fatiſcebant. Videre igitur erat hac Hebræos incedere, illac Hierichuntinos conſiſtere, ſed vtroſque obmutuiſſe; cum noſtris tamen imperium, hoſtibus

pauor ſermonem abrumperet; illis enim ſpe victoriæ, his expectatione ruinæ vox hæſerat.

Inter hæc quaſi pugnam commiſſuri inſonuere cornibus ſacerdotes, ſed fruſtra. Quippe Hierichuntini potius muro, quam gladio fidere, vt tutius agerẽt, tutari ſe tantum, in pugnam potius cogi, quam prodire voluerunt; denique hæc ſecum agitare: Quid incerta ſequimur, & intuta? vna in obſidione ſpes eſt. pugnæ diſcrimen ſequantur, quibus aut eſt pugnandum, aut moriendum; nobis domi ſedentibus victoria. Surgunt altiſſimè mœnia: per interualla celſiſſimæ turres, & firmiſſima propugnacula promittuntur. Foſſa in immenſam altitudinem demiſſa mœnibus circumducitur. an milites metuemus, cum volucribus ipſis imperuij ſimus? intus vilis annona, horrea ſoli fertilitate exundantia, fida plebs maximum in obſidionibus munimentũ, adempto defectionis metu; quòd hoſtis & nouitate generis inuiſus, & prodigiorum fama non tam admiratione grauis, quam inuidia. Sunt etiam præ manibus harpagones; è mœnibus tomenta, & culcitæ demittuntur, baliſtis, atque arietibus occurſura; ingens iacu-

culorum vis,inſana pondera,& montiũ fragmina, & quidquid aggreſſuros milites propellat,in pinnis diſpoſita; omne armorum genus pro munita vrbe abunde parata cumulant armamentaria. Cæterum longa die hoſtium patientia fatiganda ſi nõ armis,diuturnitate certe periculorum, & commeatuum inopia,abducta è vicinis regionibus annona, hoſtes cadent. Multi ſunt,verum gens eſt, non exercitus. mixtæ militibus fœminę, paruulique; quis in tam vili turba ſpiritus martialis? Aegypti perfugæ ſunt ſeruitiaque. Quid? ſecunda ſunt illis Numina? ſæpe etiam defatigantur. Alia præſunt hic aſtra,in Arabię deſertis alia: vel certè faueant ſua numina Hebræis, habẽt etiam Hierichuntini Penates ſuos. Narrant miracula, prodigiaque; ſunt hæc ad populi captum fabellæ compoſitæ. narrantur iſta,vbi teſtes nulli ſunt. Tum hæc vulgo facile & audiuntur, & augentur. Age iam gentium omnium initia prodigijs clara. conſueta ſunt iſtęc ducum artificia,ita ſibi maieſtatem apud ſuos,apud exteros famam aucupantium. Quis interea non rideat ad expugnandã vrbem Arcas afferri? hoccine genus catapultarum ex Aegypto traſportauerunt?

 runt?

ſunt? conflent illas in pluteos, vineaſq; niſi caueas huc attulerunt, quaſi cum feris, aut auibus pugnaturi. quid præterea circuitus iſte, quid orbitæ? an ducere choros libet inter diſcrimina gladiorum?

Hæc in riſum ſoluti Hierichuntini, vt timor diſſimularetur, qui deprehenſus in primatibus maximè, non leuis in vulgo pernicies. Interea ſeptimus dies affulſerat, cum Ioſue, quod ſemel cæteris diebus, ſepties murorum ambitum circumdari iuſſit; ad extremum dato repente ſigno, populus quaſi præteritum ſilentium vindicaturus, contento ſpiritu maximaque vociferatione exclamauit, dictoque citius, quaſi mœnia ſtrepitum horruiſſent, nutare, diſſolui, ruere: lapis lapidem in præceps vrgere: turrita illa culmina, minæque ſaxorum, inſanæ ſubſtructiones, titubante faſtigio vltrò deuolui: terra in labem, voragineſque diduci, vt muros omnes ampliſſimo ſinu vel raperet, vel acciperet. non ita vel leues nebulæ, vel ſomnia, vel vmbræ ſoluuntur. mœnia pæne fabula videbantur; locus ipſe iam nullus erat, vbi ſteterant nuper. Patent vrbis penetralia: remotiſſima adyta in aperto ſunt: nullus obex

vi-

victori qualibet incurrenti. Ciuium pars mente moti, vagique; pars, vbi murus trepidauerat, admiratione defixi: pars ibant, ſed quà, neſciebant, ſui pariter immemores, & ſuorum. vna ſalutis occurrebat via, ſaluti iam deſperare; morti morte præcurrendum; ſed multa meditantibus, mortis pariter incertis, ac vitæ, hoſticus enſis incubuit. Etenim Hebræi, facto qualibet impetu, flammas ferere, ferrum vibrare. Nullus ſanguini modus, nullus funeribus. Imbuti ſemel mucronis libido ſæuiendi ſponte ſua vecors, quid hic, vbi ſæuities pietas erat? Ijs ferrum pepercit, quos vndans vndique ignis abſumpſerat; illos flamma non abſumpſit, quos vel ſecum traxerant præcipitia, vel furor, ac deſperatio voluntaria morte perdiderat. Nec imbelles pietatem meriti, nec bellicoſi, æquè ſceleribus implicati: ſuper natorum cadauera parentes trucidati, ſuper amicorum amici: ſuper ſeruos domini ciderunt, ſuper dominos domus, Rex ſuper ciues, ſuper Regem ciuitas. Nemo in patriæ funere non funeratus eſt. Plerique antequam ruinam aduerterent, ruina tumulati: antequam hoſtem cernerēt ab hoſte cæſi: antequam pericula intue-

tuerentur, periculo perditi. Subita ruina lacrymis locum ademit, horror vlulatibus, ſtupor morti: cuius ſenſus pręti-more iam nullus erat; ita ſcelerum locus ſceleſtos obruit, flamma locum, flammã cineres, qui vni ſuperfuerunt ex vrbe opulentiſſima. Eant nunc, ſuperbiant homunciones, & auro fidant, & robori. Metalla tamen Cælitum iuſſu captiuitati ſeruata, & fida ſpeculatoribus Rahab. tantum valent collata opportune beneficia.

Hic Hierichuntinæ vrbis interitus fuit. Illam accolæ à luna dixere, aut lunę cultu barbaris ea tempeſtate familiari: aut propugnaculorum figura, quæ in lunæ ſpeciem ſinuari conſultiſſimi militum præcipiunt: vel mortalium ambitione aſtra affectantium. Sed maxime lunam Hierichus æmulata rerum incõſtantia, qua ſæpe preſſa, ſæpe excitata memoratur. Etenim illa ter cecidit, ter reſtituta eſt. A Ioſue primò diruta tubarum ſono, tum à Romanis in Solymorũ excidio; maiorum enim fato ſæpe etiam minora ducuntur. Tertio vetuſtate omnia paullatim exedente conſumpta, quę, vbi deſint cętera, maximus hoſtis eſt. Supereſt nunc nudum nomen, & in villæ

Ex Andrich. in deſcrip. ter. ſan.

ſpe-

ſpeciẽ parua mapalia . ſed adhuc exeſis in parietinis, ſuſpenſiſque fornicibus, & cryptis ſubinde erumpentibus antiquæ maieſtatis veſtigium aliquod oſtentatur poſterorum admirationi, qui ex eius cadaueribus priſcam magnitudinem ſubinde commendant, conſueto mortaliũ more, non niſi extincta laudantium. Primus eius conditor, vt inter barbaros memoriæ incurioſos, reticetur. Secundus Bethlemiticus Hiel fuit Achabi Principis dominatu. Tertio ab Adriano Imperatore, vt aſſerit Andrichomius, poſita eſt. Iam vero Hierichus ampla in area dominatur, quam in theatri ſpeciẽ explicatam quà celliſſimi montes, quà lacus hac, atque illac fortiſſimo obiectu concludunt. Aſphaltites Sodomorum memoria famoſa palus, à meridie eſt, in quę Superi flammas, tellus contra vndas immiſit, vt peſſimum crimen non vno mortis genere vindicaretur. Adhuc tamen efferueſcunt aquæ ſceleſtos territaturæ, atque vt igneum imbrem teſtẽtur, eſcam flammis bitumen euomunt. A lateribus duplex Hierichunti mons imminet, Ferreum vocant vtrumque telluris ariditate; ſed è tam infelici montium Cacuminę feliciſſimas cõualles natura

3. Reg. 16.

Ioſ. Heb l. 5. c. 4. Hegeſ. de exc. Hier. l. 4. c. 16. Strab. in deſcr. Syriæ.

tura deduxit,abducta illinc vbertate, vt totam Hiericunti reſeruaret. Hic ſudāt balſama,& opobalſama;hic ſeplaſiam cumulaturum liquitur myrobalanum; hic palmę vltro prorumpunt eo mellis

Ioſeph. ibid. profluuio, vt vnis calcibus preſſæ,teſte Ioſepho, ſuauiſſimo liquore promanēt. Quid iuuant palmæ,nullo tamen omine

Andric. ibid. victoriarum? Roſis itidem poſt palmas ſua laus eſt. Nuſquā latiùs hiant, nuſquā pulcriùs, ſaturato rubore,è complicato calycis nodo pene ad miraculum expanduntur;nam ſcutellas æquant magnitudine, teſte Bernardo. ſed in hujuſmodi roſis præcipue commendauerim ſanctitatem; raro enim nexu laudatur in illis innocentia,& pulcritudo. Quippe non in fomenta laſciuiæ blandienti Zephyro vere panduntur,ſed præcoci flore ad Aquilonis afflatus inter brumæ rigores ipſa Chriſti Domini Natali nocte reſerato calyce leniſſime ſuſpirant,vt auroram noui ſolis fortaſſe ſalutent,conſueto roſarum fato ad auroram ridentium. Eo nobis interim documento, ideo inter brumam roſas exiſtere, quòd nequeat incolumis pulcritudo niſi inter aſpera cuſtodiri, vel certè eam Chriſto pulcritudinem cordi, quæ maxime negli-

gligitur, brumæ ludibrium, & Aquilonis. Inter has Cæli, ſoliqu e blanditias adoleſcunt in fortunæ ſinu Hierichuntini; ſed natiuæ deliciæ cum criminum fere fomenta ſint, eò ceſſere, vt ampliſſimis roſis vni ſuperfuerint ſpinarum aculei; natiuæ palmæ vnas hoſtium dexteras onerauerint; mella, balſama, & opobalſama ne linendis quidem vulneribus fuerint ſatis. Adeo nulla felicitas, quæ non infelix aliquando ſit; illa enim vitia, vitia verò perniciem creant.

Hæc de Hierichuntis vel præſtantia, vel vbertate; cauſas nũc ſcrutabor euerſionis, quæ quatuor inter genera verſari mihi videntur. Vel igitur primò clamore militum, & clangore buccinarum mœnia ceciderunt, vel ſecundò terræ tremoribus, vel tertiò ſeptimi circuitus, ſeptimique numeri viribus, vel quartò Angelorum ope. Singula breuiſſime percurram.

Ac principiò haud equidem miror clamore vſos Iſraelitas certamen inituros; ſolenne hoc Barbaris fuit, Græcis, Romaniſque, imo inter noui orbis accolas id ipſum in vſu poſitum legimus. Notauere hoc Agellius, Vegetius, ac Iulius Cæſar conſultiſſimus Imperator,

qui

Digitized by Google

qui in Ciuili bello Pompeium damnat, quod id omiſiſſet; ac ſi adeantur Hiſtoriæ, nuſquam huius clamoris exempla non ſuppetunt. Illius autorem Pana Deum teſtatur Polieſtus in Indica Bac-
l. 1. Str. chi expeditione, vbi Panis conſilio intempeſta nocte maximus ab exercitu clamor editus, quo innumeri hoſtes perterriti, fugæ ſe commiſerunt. Ita clamor felici primùm euentu, vt pleraque inter mortales experimento fere prudētiores, celebrari a militibus cæpit.

Non inconſulte tamen clamor hic effundendus. Modum Agellius præcipit, ex quo ante pugnam ingenti ſilentio, in pugna ingenti vociferatione opus eſt. Atque hinc Græcorum ſapientia, ac Troianorum ſtoliditas exponitur ab Homero, cum illi taciti pergerent ſpirantes robur, hi vero Gruum more clamantes incederent. Neque id agendum
l. 16. ſine artificio, ſed ex Ammiano vox non ita extollenda principio, vt ſenſim demittatur, ſed contra ipſo feruore certaminum tenui ſuſurro exoriens, paulatimque adoleſcens efferenda ritu fluctuum cautibus illiſorum.

Preterea clamor hic Græcis ἀλαλαγμὸν priſcis verò Romanis Barbaricum,

ex

ex Feſto , quod eo Barbari vterentur nuncupatum , poſteriores Barritum vſurpauere , qui Germanorum potius cantus ex Tacito, quam Romanorum. *De mor. Ger.* Quid milites diſtinctè proferrent haud liquet; equidem putauerim ſonum potius inconditum , quam vocem aliquam miſſam , fremitumquè confuſum , qui ſcutorum flictu, armiſque crebro haſtarum, pilorumque ictu concuſſis, ac voce parmarum obiectu repercuſſa, horrendum in morem aſperabatur, vt vrſorum vocem, vel luporum vlulatum imitarẽtur, ex Lipſio, Suidaque. Nonnulla diſtinctè. *De Milit. Rom.* D. Iacobi nomen ab Hiſpanis, à Gallis Ludouici , à Polonis Caſimiri, à Turcis Dei , ſi tamen tam efferatæ nationi Deus vllus in cultu eſt , ac nulla fere tam barbara gens, quæ eo in diſcrimine Numinis alicuius nomen aliquod non vſurpet; adeo vel timor, vel neceſſitas Cæli memoriam mortalibus inſerit. Apollinem Græci vocabant, aut Martẽ, ſępe Bellonam, Dianamque, ſæpe Iouẽ. Noſtri vel Regis nomen , vel patriæ proferunt, vel victoriam ſuis, vel cladẽ hoſtibus ominantur; quam plurimum vero, Arma, Arma proclamant, vt apud Maronem. A Chriſtianis olim militibus,

CRVX

CRVX VICIT, exclamatum, Cedrenus affirmat, quod poſt Conſtantini Magni victorias Crucis vexillo reportatas, ſolenne Chriſtianis fuiſſe crediderim. Hebræorum vero clamores hoc loco vel victoriæ voces fuere, vel Numinis nomen, quod ante pugnam vocari diuina lege cautum eſt in Deuteronomio; & Iudas Machabæus id vſurpauit, nam vt ſacræ literæ teſtantur, *Iudas, & qui cum eo erant, inuocato Deo per orationes, congreſſi ſunt.*

2. Mach. c. vl.

Sed quæcunque vox fuerit, illud aliquando ſtatuendum eſt, vtrum vocis robore mœnia humi deuoluta ſint. Ac primo id abſonum nō omnino putauerim. Neque ego hanc ſententiam fabularum teſtimonio muniam; poſſem enim ſaxa ad extruendos Thebarum muros Amphionis voce reuocata proferre; poſſem montes, & ſcopulos, Rhodopen, Athonemque ad Orphei cantus aurito vertice properantes, teſtes excitare; poſſem fuſas legiones vno poetici cornu clamore apud noſtrates Mythologos adhibere; poſſem conterritas vndas, & concuſſam Italiam Polyphemi clamoribus memorare. ſed nefas eſt ſanctiſſimam hiſtoriam fabularum leuitate fulcire.

Non-

Nonnè à leone legimus, cum feras aſſequi nequit, illas velocius prætercurrentes elato rugitu proſterni,& in prædam cadere? idem leo licet voce belluas opprimat, nonne pari naturæ miraculo in fugam gallinacei voce propellitur? militum clamore nonne aues ſubinde preteruolantes humi procidere, conſtãs fama eſt? Tonitrus fremitu anicula Gorgo, vt Antipater in Græco epigrammate affirmat, perdita eſt; quo ſtrepitu ceruas vel exanimari, vel ſolui, ſacræ literæ teſtantur. Angues cantu diſrumpi cernimus. Vno ruentis propugnaculi fremitu, quod ſuperioribus annis pyrij puluer is vi actum maximo impetu in ſublime eſt, in arce, quam D. Eraſmi Neapoli indigitant, Neapolitana ædificia concuſſa, portarum obices fractos, duxiſſe vitium firmiſſimas concamerationes, ſenum plerique commemorant; imo in diem tormentorum vno fremitu, ne dicam impetu, ſolui compactos fornices, excuti mœnia, ij deplorant, qui domos ad arces inconſulte poſuerunt. ac vero ſimillimum puto, cum quinos ab hinc annos in Veſuuiani montis exuſtione noſtra toties ędificia tremuerunt, non id terræ tremoribus eueniſſe, ſed

Digitized by Google

mugientis Veſeui clamore potius, cuius impetu impulſus aer noſtros in parietes validiſſime arietabat; præcipue vero quòd ad mugitus numerum ædificia quaterentur.

Iam vero, vt vocis robur indicetur, libemus aliquid è ſacris hiſtorijs. Vna Chriſti Domini voce, cum ad milites, *Quem quæritis?*, exclamaſſet, nefaria cohors humi deiecta eſt. Vna eiuſdem voce cum ferocientem Saulum idem è nube vel dulciſſime reuocaret, vel leniter increparet, *Saule Saule cur me perſequeris?* inconſultus miles ſemianimis humi procubuit, cumque Saulo comitum turba deiecta, vt idem Paulus ad Agrippam Regem teſtatus eſt; quorum caſum cadentibus ad Gethſemani colles militibus parem Chryſoſtomus putat. Agite iam Moſes cum rixantem Aegyptium oppreſſit, alijs iaculis, alio gladio non vſus, quam verbo; nam ſanctiſſimum Numinis nomen Tetragrammaton pronuncians, hoſtem exanimauit. teſta-

Abul. in Exo. tur hoc ex Abulenſe Rabi Salomon, & *Cl. l. 1. Str.* Clemens Alexandrinus. Imo Moſes ipſe qui verbo oppreſſerat cæteros, voce etiam exanimatus eſt. etenim ea verba Deut. 34. *Mortuus eſt Moyſes, iubente*

do-

domino, verterunt Hebræi, *per verbum Domini*; vbi Caietanus affirmat, actum id efficacia diuini verbi dicentis, *Morere*. Ex optimo Imperatore gradum faciam ad ſceleſtiſſimum, ſcilicet Antichriſtum, quem vno verbo interfectum iri, ſunt, qui aſſerant ex illo Pauli, *Quem Deus interficiet ſpiritu oris ſui*; ſpiritum oris enim Hugo Victorinus, & Salmeron Verbum vnum futurum affirmant. Iure igitur exclamabant Hebræi: *Quid eſt omnis caro, vt audiat verbum Dei, & poſſit viuere?* iidemque iterum, *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Iſaias etiam teſtatur vociferantium Seraphim clamore Cælum terrore concuſſum, identidem tremuiſſe. Quare Andreas Cæſareæ ſanctiſſimus Præſul affirmat, è D. Ioannis teſtimonio in Apocalypſi eo terrore tubam ab Angelis animatam ſeptimo ſtrepituram, vt orbis non concutiatur modò, ſed finiat. Quin igitur Hierichuntina mœnia tubis ſeptimo clangentibus corruiſſe credamus, quando ſeptimo tubæ ſtrepitu mundus ipſe non modo paueat, ſed etiam cadat?

Poſt ſacras literas, pias hiſtorias veſtigari libet. Hegeſippus occurrit primò, qui Hieroſolyma nō tam Romanis

De exc. Hier. l. 5. c. 43.

armis, quam voce proſtrata vult. Eiuſdẽ verba illa ſunt: *Ante Vrbis excidium Ieſus Ananiæ filius in ſumma vrbis pace, cum ſcenopegia frequentiſſimè celebrarentur è templi faſtigio cœpit exclamare, Vox ab oriente, Vox ab Occidente, Vox à quatuor ventis, Vox ſuper Hieroſolymam, & ſuper templum, Vox ſuper ſponſos, & ſpõſas, Vox ſuper omnem populum; atque hæc interdiu, noctuque quatuor annis vſque ad excidium iterauit.* quaſi vna Domini voce exitium tam dirum exiſteret. Pari exemplo Cedrenus vtitur, cum Baſilij Principis imperio narrat, à Chriſtianis militibus Manichęorum exercitus actos in fugam, quod pæanis loco ſub certaminis initium iteratum à pugnantibus eſſet, *CRVX VICIT, CRVX VICIT*. Ita Conſtantino victoriam peperit viſa crux, Baſilio crux tantum appellata. Nec Bedam præteribo, qui à D. Germano apud Britannos non haſtis, ac iaculis Saxones, ac Pictones aſſerit profligatos, ſed vna voce, cum tantum caneret, *Alleluia.* Quibus inſeri poteſt Albigenſium Hæreticorum fuga, qui victi vna voce ſunt, cum vir ſanctus intonuiſſet, *Hoſtem repellas longius*.

Bed. t. 2. Corneli. in Act. Apoſt. Lori. ib. Salian. de Hieri ch. excidio.

Hactenus è ſacris Hiſtorijs exempla

mut-

mutuati,nunc pro voce, externa etiam libet adhibere. Primo igitur Catonis effatum eſt,in certamine verba pluſquam gladium,& voces, quam manum hoſtes territare,& in fugam vertere. Probe igitur Ioſeph Hebręus,qui cum Romanos animaduerteret clamore vno, ſtrepituque vincere ſolitos, iuſſit ſuos aures obſtruere,ne vociferatione perculſi caderēt,feliciſſimo rerum euentu. Idque abHyrcanię populis edidicerat,opinor, quos aiunt inter Caſpiarum præcipitia rupium, euiſceratis profundiſſimè antris,& ſpecubus habitare.Hic enim cum craſſiſſimo ex aere, & graui nebularum caligine è continenti lacuum,& montiū ſerie vndique offuſa, tum natiuo ſoli rigore, & cæli inclementia craſſiſſimos vapores matutinus calor educit; atque inter pendentes ruinas, & prærupta ſaxa per exeſas crepidines eo fragore halitus illi paulatim exurgunt, vt accolæ ſtrepitu prorſus exanimentur. quare vt certiſſimo exitio mederi poſſint ſub auroram præcipue vel penitiſſimis ſpecubus, incluſiſque penetralibus continentur,vel auribus vmbones,& parmas opponunt,aut aurium aditus tomento cōcludunt,vt fragor arceatur. Pares hac

l.3.c.18.

Ol. l.4. cap.2.

 in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

in re Vlyſſi, qui ſociorum aures ceris obleuit, ne Sirenum vocibus caperentur; niſi vocum hic dulcedo, illic aſperitas vitaretur, vtraque tamen iuxta perniciofa. Hoc ipſum noſtri notauere Cāpani, quare cum Romano exercitu conflicturi, diſpoſita in muris ex Liuio imbelli multitudine, tantum cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ ſilenti nocte cieri ſolet, edidere clamorem, vt auerterent etiam pugnantium animos. Extremo loco Dircei, ſiue Tyrtæi exempla memorabo, vt Acron, Porphyrio, ac Iuſtinus prodidere. Cum inter Lacones, Meſſenioſque bellum arderet, Apollo conſultus, quis exitus bello futurus eſſet; reſponſumque ab Oraculo, à Lacedæmonijs fore victoriam, ſi Athenienſi duce vterentur. Hic Athenienſes Spartanorum ludibrio Dirceum quendam luſcum, claudum, mancum, dorſo in deforme tuber extante, tota oris ſpecie Homerico Therſite turpiorem ducem tradidere. Quis tam malo omine bellum committeret? Dirceus tamen ſuis carmine in pugnam animatis, ductoque in tubam orichalco, ignotum id temporis inſtrumentum, nouo ſtrepitu ita Meſſenios terruit, vt victoria Spartanis illico parta ſit.

l.26.

Natal. Co. de Inu. Tib ex Iuſt. l.3.

Vi-

Videor fortaſſe tanta exemplorum caterua ſatis ſuperque pro vocibus peroraſſe, ſed rem enucleatius Philoſophantium more diſcutiam. Vocis ergo ex cõmuni partitione aut materies ipſa ſpectatur, aut forma. Forma quidem, hoc eſt vocis ſignificatio, vt fusè D. Thomas, ac noſter Delrio, nullo prorſus robore prædita eſt; cum noſtro ex arbitratu non ſuapte natura hoc indicet, aut illud, materiem vero, ſeu ſonum, qui aeris quidam impulſus eſt, aliquid agere poſſe quis abnuat? ſi elata igitur voce aer impellatur, ſpiritus hic maximè vehemens, & concitatus idem valeat, neceſſe eſt, quod ventorum maxima vis. ſtatue ergo ſexcentena millia capitum, quo numero cenſentur Hebręi, validiſſimè in clamorem nitentium ſpiritum in Hierichuntem educere, an Auſter, ac Boreas tam valide volitabit? Cum ergo ventorum vi vrbes cecidiſſe ſæpiſſimè conſtet, cur hoc robur a vocibus ablegandum? Sed ne videamur ἀδύνατα prorſus, & paradoxa proponere, licet natiuo vocis robore muri euerti potuerint, ſtatuo vocem non naturę vi tantum valuiſſe, ſed illi diuinitùs maiorem impetum additum illamque, *In diſq. Ma.*

vt cum Theologis loquar, obedientialiter operatam, vt in ſacramentalibus verbis conſtat gratiam producentibus: quo modo quis clamore Hierichuntina mœnia ruere potuiſſe, inficietur?

Venio in hanc præcipue ſententiam, quod in humanæ tenuitatis argumentũ, conſueto Superum more, mortalibus à minimis fere rebus creari pernicies ſolita ſit. Atque vt decidua lapides gutta terebrantur; vt tenuiſſimo parietis uitio celſiſſimę moles ruunt: ut teredinis morſu, aut tenuibus rimulis turrita nauigia ſæpe perduntur; ut ex Ammiano culicis morſu efferatiſſimi leones in Meſopotamia, ut piſciculi pinna delphines, ut ichneumone Crocodili, ut dracones Tiberio familiares ex Trãquillo formicis cadunt. ita Holophernem, Siſaram, Cyrũ ualidiſſimos duces fœminarum dextra conficit Deus; puerorum manus armat in tyrannos; maximos exercitus, Romanis obſecundaturus, pulueris nubecula diſſipat; immenſas acies ex Herodoto undantibus arenulis obruit; Lotharingij Lotharij, ac Ludouiçi ſecundi legiones noſtra in Apulia aranearum morſu perdit; cuniculis oppida ſuffodit in Theſſalia; ranis ciuitates in Gallia ua-

Plut. in ſer. l. 2.

Plut. ex Var.

ſtat,

ſtat, locuſtis in Africa; & ex Gyaro Cycladum vna incolas muribus fugat, quibus beſtiolis Polonos principes etiã vexat; voce vero, ac tenuiſſimo ſpiritu muros obruit Hierichuntinos. I nunc, animantium infeliciſſime mortalis, aſſere te Cælitibus parem; tua imperia nec Oceanus ipſe concludat; tua deſideria metire mundo; obnitere naturæ; te nihil expleat, niſi quod vaſtum, & immenſum eſt; nutus tuos obſeruent nationes; tuo è geſtu gentes pendeant, tui vultus maieſtatem adorent proximi, exteri nominis famam venerentur. tandem in hoc beatiſſimo fortunæ ſinu cõſtitutum, non, vt te premant, ruinam altiſſimi vertices ducent: non ſua eructabunt incendia Veſeuus, & Aetna, quibus pereant pariter, ac perimant: non fulmine nubila conflagrabunt, quibus Gigantum inſtar petaris: non fines laxabit ſuos mare, vt te cum terris ſorbeat: non fœdera ferient nationes: non Cimbros, non Gothos, non Longobardos tuas in oras Scandinauia exonerabit, quorum mucrone vaſtentur regiones, vt tu quoque feriaris: non properabunt portenta, non monſtra, inter quorum vngues, ac dentes dilacereris. ſolatia funeris non

mi-

minima forent, magno hoſte cadere. Sed vel tibi modo ficus, modo pyrũ, modo vuæ acinus ſpirantis animæ fores occludet: occluſit alias Terpandro, Druſo, Sophocli, Anacreonti; vel animam ſternutamentum excutiet, qua peſte laborauit Italia; vel uenas, ac præcordia ſtillantes guttulę terebrabũt; vel aquã glacie in ſtiriolam turbinata ſedebit in iugulo, quod deplorat in puero Martialis; aut riſus, aut gaudium te, aut pudor, aut mœror exanimabit, quorum exemplis ſcatent hiſtoriæ. Fortaſſe muſca ſuffocaberis, Adriani quarti Romani Pontificis æmulus. Fortaſſe Hermonacti par apiculis agitabere. Aut Henricus niger Imperator panis bolo perditus; aut Meſſalinus Conſularis hirudibus confectus, aut ad extremum Romanus Fabius hauſto in lacte pilo, quis crederet? ſuffocatus, te in ludicri funeris exemplum trahent; aut tandem (ò mortalitatis ludibrium!) voce vna, voce, inquam, conficieris. Quam vere Cælitum iocus mortales ſumus!

Quæ cum ita ſint, quà ſacris, quà profanis hiſtorijs, & Philoſophorum placitis, & Theologorum eam mihi videor firmaſſe ſententiam, qua Hierichuntina

mœ-

mœnia vocibus corruiſſe perhibentur: Laboramus autoritate, cum Patrum, & Interpretum turba id nuſquã palam cõfiteatur; quapropter, vt ijs ſubſcribam, hac ſententia cedo.

Aſſerit Auguſtinus mœnia terræ tremoribus concidiſſe; vt in famoſo illo terræmotu centum Libyæ vrbes corruerunt; & in terræmotu dominicæ paſſionis vndecim in Thracia ſubuerſę ſunt. Fauent Auguſtino Michaelis Balbi Cõſtantinopolitani Cæſaris literæ Ludouico Francorum Regi Occidentis Imperatori datę: hic autem cum victorias recenſeret ſuas, Thomæque competitoris exitium, tandem ſubdidit; Saracenorum copias in vrbe Panadus à ſe arctiſſima obſidione conſtrictas; cumque nollet oppidum aggredi, ne militaris gladij licentia in Christianos etiam debaccharetur, vrbis muros tærremotibus concidiſſe, vt Hierichuntis miracula Cælites renouarent, quæ terræmotibus etiam inter Ioſue clamores obruta eſt. Non piget Principis verba proferre; *Immiſit eis Deus terræmotum, qui concuſſit ciuitatem; ab eo muri eius diruti ſunt, ſicut de Hiericho accidiſſe legitur, & eo modo traditi ſunt in manus noſtras; quod miraculũ*

De Mir. ſa. ſcrip. l. 2. c. 3.

Baron. tom. 9.

non

non exiſtimauimus eſſe cælandum. Contra vero Abulenſis, Terræmotus hic, inquit, nec diuinitus immiſſus eſt. cur enim hoc miraculo vſi ſint Superi, cum alio pacto conſueuerint in vrbes animaduertere? Neque ſola naturæ vi; enim vero quid vna mœnia proruit, domibus vero proximis pepercit? quid inter tam propinqua confinia & vrbis, & turrium, vrbi ruina tam pia fuerit, turribus tam crudelis? quid ęquabiliter tota muri ſtructura decubuit, nec pars aliqua firma tremoribus fuit, nec aliquod temporis interuallum inter huius ruinam turris, & illius interceſſit? Vbi terræmotus aut effecta, aut indicia, profluentia flumina, ſpiritus labes, voragineſque? Cur Hebræorum nutu terra ſuccuſſa, nec illorũ voces vel conſecuta eſt ruina, vel anteceſſit? E quibus cum terræ tremoribus ruere etiam videtur opinio.

Abul. hoc loco

Nec affirmabo ſeptimæ diei, ſeptimi circuitus, ac ſeptimi numeri viribus obruta mœnia. pro qua ſententia ſtare videtur Gregorius Nazia.; ſed illius verba aſteriſco notauerim, quippe corrupta. Sunt iſtæc Pythagoręorum inſaniæ, qui ſeptimum numerum quam maxime viciſſitudinibus aptum volunt; quorum ſomnia

Or. 2. in Iul.

ſomnia vſque ad faſtidium à Philone, ac Macrobio coaceruantur. Equidem cum Auguſtino, cæteriſque Patribus numerorum vim nugas puto; cum enim ex noſtro Delrio numerus ordo quidã rerum tantũmodo ſit, & rebus nihil afferat præter rem ipſam, quodnam numeris robur affigendum eſt?

Supereſt, vt Angelorum opera cecidiſſe ſtatuamus.cum enim alia cauſa nõ ſuppetat, vni Angeli ruinæ autores ſuperſunt; cum illuſtriſſimæ quæque victoriæ ab Angelis partæ ſint. Affirmant id Abulenſis, ac cæteri Interpretes, eò præcipuè, quod antequam obſidione Hierichus cingeretur, educto Angelus gladio in caſtrorum vallo conſtiterit, pro Hebræis vtique pugnaturus.

Poſſent nihilominus tot ſententiarũ diuortia facile componi. Aio igitur,& voces,& numeros, & terræmotus, & Angelos cauſas fuiſſe, non tamen eodem pacto. Angelos enim cauſam efficientem puto, ſiue applicantem vnis mœnibus terræmotum.terræmotus cauſa formalis ruinæ fuit. voces,ac numeri conditiones,aut ſigna, ad quorum nutus Angeli in mœnia ſæuierunt.

Hæc de Hierichuntis excidio habui,

AA. vbi ad extremum facere non poſſum, quin nobiliſſimæ Hebræorum victoriæ gratuler, in qua ſidera ipſa ſua claustra reſerauerunt, vt auxiliares nè copias Hebræis immitterent, an vt cernerent triumphantes? Legat interim Ioſue à palmarum ciuitate, vt ſæpe Hierichus appellatur, palmas ſuas; atque à deleta Hierichunte, quæ lunæ nomen ſortita eſt, non lunæ incoſtantiam, ſed illam ſibi, ſuæque gloriæ diuturnitatem ominetur, quam vnam humana felicitas ſemper optat, nunquam aſſequitur famam certe non deſiderabit, quæ ſonare plenius didicit a tubis Hebræorum. Ego interea è nobiliſſimæ vrbis ruina aliarum vrbium fata non poſſum non memorare, quæs deplorat Hieronymus, Ageruchiam moniturus, de Romana præcipue ruina ſolicitus, in qua ſic exclamat: *Quid ſaluum eſt, ſi Roma perit?* nec tamen Ilij, Carthaginis, Athenarum, Corinthi, Syracuſarum fata deplorauit, ſed quid a noſtris finibus longe peregrinamur! vtinam lacrymę noſtris calamitatibus eſſent ſatis! Quam multa ſunt vna in Campania vel hoſtium vulnera, vel vetuſtatis! Prope ſunt Capuæ cadauera, prope illa vrbs, quę cum Ro-

ma,

ma , Carthagineque de orbis imperio potuit decertare. At vero vbi nunc nobiliſſimum oppidum? vix tumuli ſuperſunt, & vanum nomen. eius ędificia vomere proſcinduntur ; eius theatris ligonibus inſultatur; & tellus illa bidentibus patet, vbi Vibij Virij, Taureæque Iubelli Campanum ſupercilium Romā contra ſuperbius extollebatur. proximarum tamen excidio vrbium ſolari ruinam poteſt, nam ex Seneca

Lentius luctus, lacrymæque mordent, *In Tro.*
Turba cum fletu ſimili frequentat.

Adeatur ergo Sinueſſa, adeatur Auſonia cuius imperium id olim fuit, vt vniuerſæ nomen Italiæ dederit; ſed quò adeatur, cum non hoc ipſum liqueat, vbi fuerint? aliàs vrbes calamitas miſeras fecit, has vero nullas. Vbi Cumæ nobiliſſima noſtræ Parthenopes parens? vbi Cumę, quarum imperium tota Campania protendebatur? quas Vmbri, Etruſcique, *Athen.* quingentis millibus militum in exercitū coactis, non oppreſſerunt? Vbi Baiæ, Puteolique, Romanorum deliciæ, & ampliſſimæ villæ, ad quas exornandas gentium omnium ſpolia à Romanis rapta, & Imperatorum patrimonia confluxerunt? Vbi è Puteolano ſinu conti-

nen-

Digitized by Google

Lean. in Cam. nenti domorum ſerie maximæ vrbis inſtar tricenis millibus paſſuum Stabiarū tenus ducta ędificia? Vbi Pompeij Herculanum, & millena villarum pompa, quarum vel ipſa nomina Veſuuiana incendia deleuerunt? Vbi noſtra Palæpolis, quæ ſuo in veteri nomine ita cōſenuit, vt nulla ſit. Et tu quòque Neapolis (ſed Cælites omen auertant) tu quoque, Neapolis, aliquando non eris: Tu pro cuius imperio nationes digladiantur, Itali cum Græcis, Gothi cum Italis, Conſtātinopolitani cum Gothis, Nortmanni cum Thracibus, Germani Principes cum Nortmannis: Tu, pro cuius opulentia, & pulcritudine in Germanos armantur Andegauenſes, in hos Dyrrhachini, in Dyrrhachinos Galli, in Gallos Aragonij, in Aragonios iterum Galli, vt in Auſtriorum ſinu feliciſſime tandem conſiſtas; aliquando caſura es. Te, inquam, Neapolis, in quam omnem felicitatem fortuna deduxit, vbi ſolum aſſiduo riſu vernat, vbi Cælum potius quàm apud Syracuſanos, ac Rhodios pudet non eſſe ſerenum, vbi terra, mariq; transuectæ voluptates animos beatiſſime demulcent, te, inquam, extrema etiam manent exempla; ac veluti apud

te

te aliarum fata vrbium memoramus,ita tua fata alias apud vrbes memorabuntur. Tu,in cuius cratere Sirenes ludunt; in cuius littore Apollines adoleſcunt;in cuius ſinum,Helicone poſthabito,Muſę traijciunt.Tu,cuius ciues Regibus pares ſunt; cuius domus vrbibus ipſis æquantur;& quę vna ampliſſimas regiones occupas magnitudine,tu,inquam,tandem aliquando deficies. Etenim vt quid pulcherrimum eſt, ita breuiſſimum:vt ampliſſimè protenditur,ita ictibus maximè patet:vt altiſſimè ſurgit,ita ruinæ maximè obnoxium eſt. Quidquid homines poſuere,tandem cadet; mortales ponimus moritura. Hi viridiſſimi collium veſtitus areſcent: ſuperbæ illæ ſubſtructiones in aceruos lapidum cedent: & antiqua theatra vix tranſmittent poſteris parietinas. Memorabit poſteritas Neapolis magnitudinem, quam nos admiramur; vtinam memoret,fortaſſe neſciet: & vetuſti nepotes deplorabũt gloriæ illius veſtigia; ſi tamen vlla ſupererunt,quæ vetuſtas eraſit.Omnia pariter demetunt fata,& cum inter hominum neces mortis gladius hebetatus eſt,inter vrbium ſaxa, quaſi inter cotes acuitur. Non vna Hierichus eſt. quæcumque

æquat illam felicitate, æquabit calamitatibus. etenim licet ſera ſint fata, non ſiſtunt tamen. Dixi.

SAPIENTIAM BARBARORVM

Incurſionibus extinctam, Neapoli reuixiſſe.

ORATIO.

HABITA NEAPOLI IN COLLEGIO SOCIETATIS IESV

In inſtauratione Studiorum.

NEapolim quodam veluti fato, ac benigniſſimo afflatu ſiderũ conſtitutam; vnde renaſcenti ſapientiæ incunabula peterẽtur, vel ex illo confici licet; quod idem huic vrbi dies inter vetuſtiſſima antiquitatis primordia quondam orien-

Digitized by Google

orienti, qui ſapientiſſimis hominibus natalis illuxit. Memorant enim, Solymis in auguſtiſſima id temporis regia, cum primo vagitu vitam ſapientiæ nobiliſſimum argumentum Salomon ſalutaret, hic ridentis inter Italiæ brachia, Sirenum illecebras, ac ſuauiſſima carmina ſecutis lapidibus, rupibuſque, ſidus hoc Europæ noſtrã Parthenopen extitiſſe. Videlicet illinc Iſraeliticus Princeps, ac diuinus plane vates gementi ad vitæ veſtibulum filio ſoporem dulciſſima modulatione conciliabat: hinc inter Campaniæ riſus, & gaudia Sirenes primo modulabantur, naſcentem vrbem ſuis blanditijs cumulaturæ. Salomon igitur diuino ſanè conſilio noſtra cum vrbe natus: vt cum ſapientiſſimi ſurgerent, nouæ ſapientibus pararentur academiæ, quaſi ſua munera inter Europã, Aſiamque partiente Cęlo, vt cum Salomonis ingenio Aſia ditaretur, nouum ſapientiæ theatrum Europa Neapolim poneret, olim etiam Salomones ſuos feliciſſime parituram; quippe Aquinatem noſtrum, ac Robertum Regem ſui ſeculi Salomones indigitatos ab Innocentio Pon. Max. luculentiſſima monumenta teſtantur. Verum quid antiquitatis in-

gredimur gaudiã, quę proximo vulnere funeſtantur, naſcentique arridemus ſapientiæ; cum eidem per ſummum ſcelus extinctæ potiore conſilio lacrymæ debeantur? quam enim & in homines, & in vrbes effuſam à Cælo vidimus, in hãc rerum omnium latens quidem, ſed hoſtis infeſtiſſimus vetuſtas debacchari primo cœpit, tum maiore niſu deleturus omnia barbarorum furor incubuit. Atqui extincta ſit illa quidem, vt feliciùs Neapoli renaſcatur; ac barbarorum inter incendia ſoluta in cinerem ſapientia ſit, vt glorioſior phœnicis more reuiuiſcat, Apollinem ſuum non in Ægyptia Memphi, ſed noſtra meliùs in Parthenope adoratura, in quam columbæ ductu, ſua Delo poſthabita, Apollinẽ perhibent commigraſſe. Cadere igitur ſapiẽtia voluit, vt Neapoli ſurgeret, quaſi Neapolitanam originem tanti duceret, vt eam ſuo funere patriam emere ſibi ſtatuerit. Videte, Neapolitani Proceres, veſtra Parthenope quo ſit loco; quas enim cum naſceretur inter ſidera tantum ſortiri cunas voluit ſapientia, eas, cum renaſceretur, ab vna Neapoli repetiuit. Sed iam per illius cædes eundum eſt, vt eidem occurrere nobis liceat

ceat

ceat rediuiuæ, ac noua per funera gradus faciendus ad incunabula.

Ac principio ſeu Budda quidam, ex Hieronymo, genitore nullo, vna matre progenitus, ſuam propagauerit inter mortales philoſophiam; ſeu Theano, Crotoniatis fœmina, aliquot virorum ludibrio philoſophata ſit primò, non moror, A A. Sapientiam certe non a Dite repeterem, vnde in mortalium perniciem reuocatur à quibuſdam, in illuſtriſſima re omnino cæcutientibus; ſed potius, vt Clemens autor eſt, illam cœli beneficio vulgatam inter homines affirmarem. etenim cui nectar hoc, niſi Diuis, cui tanta lux, niſi ſideribus referatur? ò beatiſſimas academias, quæ primo inter heroica illa tempora magiſtros Cælites exceperunt. Quam pudet inter tam magna nomina noſtræ tenuitatis! quam tædet inter hos radios noſtræ caliginis!

Atqui vel vera ſint hæc, vel ſuis diſciplinis blandientium inuenta philoſophorum: re vera quæ prima literarum monumenta hiſtoriæ prodiderunt, Sethi columnæ ſunt, quarum alteram vetuſtiſſimis ductibus exaratam ſua ætate ſuperſtitem, Ioſephus memorauit. Vl-

tra geminas has columnas ſapientiæ progredi nefas eſt. has ille ſtatuit quaſi metas curioſitati, Herculem edocturus eodem pacto nautarum audaciæ metam imponere. Scilicet hoc lapide vel primum ſapientiæ templum poſitum eſt, vel primum nationibus gymnaſium excitatum. Hoc olim literarum rudimentum fuit, rude quidem, quippe ſaxeum, ſed quod nationes erudiret vniuerſas. Atque his columnis primo ſapientia fixa, ac firmata eſt, ne patrium cælum repeteret, vnde nuper mortalibus fluxerat. Quidquid id ſit, habebunt indocti vel in candido lapide, quod erubeſcant; quæ enim relinquitur illis excuſatio neſciendi, cum vel lapides ipſi tam facile erudiantur, vel à lapidibus, vbi cætera deſint, doceri valeamus?

Verum, quod hic miremini maxime, illud eſt, à lapide profectam euolaſſe illico ſapientiam. quis etiam in vniuerſa barbaria angulus ita latuit, quò illa non penetrauerit? quę tam late patuit regio, quam illa non occupauerit? quæ tam altè erecta faſtigia ſunt, quò illa non aſſurrexerit?

Sileo Chaldæos, Ægyptios, Indos, ſileo

leoGræcos,& Italos; cum Scythę, Maſſagetæ, Thraces, ac, ſi Iornandæ credimus, ipſimet Gothi philoſophis abundarint.

Quid? quod Cimbrica Cherſoneſus, brumæ domus, ac damnata tempeſtatibus plaga, horrida regio, & horrori cognatos ſuo indigenas paritura, gelido in gremio, ſi Goropius audiendus, ſapientiæ natales excepit. Quaſi eſſent Latino ritu naſcentis ſapientiæ membrula duranda gelu, & ſuam ſeueritatem philoſophia è rigidiſſima regione deduceret.

Nec indecorem inter hæc latitaſſe ſapientiam putetis velim; ea enim maieſtate in Cælum euecta eſt; vt ſuis in gurguſtijs ambiantur à Regijs ſapientes, ſordido ſub pallio principum purpuræ præferantur, ac ſæpe vel in dolio inuidiam facere poſſint Alexandro. Adijce his philoſophorum auditores Deorum voces nuncupatos, eorum domos pro templis habitas, eorum effata oraculorum inſtar excepta, ipſos numinum loco ductos. Verum eo in faſtigio fixa ſapientia eſt, vt humi crudelius affligeretur: ac tam late patere voluit, vt facilius vulnera exciperet.

Inhorrui; ex quo iubeor ingredi phi-
 lo-

loſophiæ cædem, ac diſciplinarum exitia ſpectaturus. Sed opus aggrediar tamen, ratus ſua inter vulnera ſapientiam veluti interputari, vt felicius repubeſcat; ac foneratam quidem, ſed ſuos cineres præſtantioribus auſpicijs animaturã. Prodeat iam cum ſapientia certatura barbaries, ſi tamen pugna illa dicenda eſt, nõ laniena, non cædes. Imminius actum principiò eſt, vt paulatim ſæuities ſaginaretur: quare particulatim primo ſapientiam aggreſſa barbaries, tum opprimit vniuerſam. primo quibuſdam velitationibus ſingulas ſectas, tum toto agmine infuſus hoſtis, omnes extinxit. percurramus ſingula, ſi lubet.

Intuere Thaletem Atticæ ſapientiæ nobiliſſimum autorem, ſed ſuis cum diſcipulis celerrime periturum; eius enim doctrina ſex ætatibus celebris, in Socrate defecit, qui ſcientiam traduxit ad mores. Iam vero à Socrate diſcipulorum greges quam facilè corruerunt! Cyrenaici ex Ariſtippo, in Hegeſiam ducti, ætates quinque complexi, gloria, ac nomine ſpoliati degenerauerunt in Hegeſiacos. Eliacorum autor Phædon tertiã ætatem attigit, nomen apud Menedemum Eretrienſem depoſiturus, ex quo

Ere-

Eretrici repente prorumpunt. Ex Euclide Megarici, ſiue Eriſtrici ad Diodorum Cronum quarta ætate deficiunt. Academiam ſuo Platone ſuperbientem, quater cecidiſſe quis crederet? cum Vetus in Arceſilam, Media in Carneadem, in Philonem Noua, Quarta reciderit in Antiochum; cum Vetus ſex ætates, quatuor Media, tres Noua, vnam Quarta numerauiſſet. Quid æternum ſperes extincto Platone? Age iam Antiſthenes latratum auſpicetur, ac Cynicos pariat; breui apud Cerberum ſibi cognominem catulos ſuos excipiet quarta ætate deletos, Zenonis opera in Stoicos commigrantes, vt ipſi etiam Stoici ſiſtātur in Poſidonio ſex ætates numeraturi. Verum diſcedamus paulisper à Græcia.

Vbi Pythagora duce, Italica ſapientia, quę ſua pręcepta vniuerſo terrarum orbe deduxit? Vbi Phythagoras ipſe; qui perdius à quinque millibus, pernox à ſexcentis audiri conſueuit. nempe vix vndeuigeſima ætate ex Laertio, vix nona, vt verius alij, maieſtas illa decubuit. Extincti etiam ſunt ſui inter Afros Atlantici, inter Hiſpanos ſui; & Gallici Druidę ad ſeptingentos annos celebres

à Ti-

à Tiberio principe omnino deleti. Quid Zoroaſtris diſciplinæ, quæ ſex millibus annorũ, vt ferunt, ante Platonẽ traditæ, Perſide, Ægypto, Theſſalia, Cholchide, Britannia volitabant: nonne Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Craſſo Conſulibus amandatæ ſunt? Nec veſtræ, Ægyptij, literæ æternæ ſunt, licet quadraginta nouẽ annorum millia ad Alexandri Regnum expleuiſſe perhibeatis. Etenim dum illis tanta ætate autoritatem comparatis, ſenectutem etiam, & mortem arceſſitis; nam tanta canities Perſephonẽ admonet, quando detruncanda ſit. Quid plura? Auguſtinus ex Varrone ducentas octoginta octo philoſophorum ſectas enumerat, quarum nulla ſuperfuit teſtatura poſteritati, illas aliquando fuiſſe. O ſapientiæ carnificinam!

Tantis fortaſſe cladibus pro veſtra pietate ingemiſcitis, A A: Sed ſiſtite, quæſo vos, lacrymas funeſtioribus lanienis vberius manaturas: atrociora nos ſpectacula reuocant. Etenim modo mutilatas doctrinas vidimus, mox deplorabimus extinctas; pars illic aliqua literarum, hic literæ concident vniuerſæ.

Scelus hoc bellorum fuit, ac facinus

bar-

barbarorum, quos in Rom. Imperium coniuratos; in literas crudelius coniuraſſe deflebimus. tanta enim ſapientiæ magnitudo eſt, vt cadere nequeat, quin Regna ſecum, prouinciaſque deuoluat, ſua cum ruina infeliciter ruituras.

Primo igitur feralis Barbarorum eruptio Superorum minis, portentiſque funeſtata; ſed omina cladis prænuncia cladibus ipſis minora perhibentur. Toto cælo faces diſcurrere; concurrere armatas ignibus acies; diſcedere in ampliſſimas voragines campos; mugitus vndique audiri; verùm inter hæc nemo tanta timuit, quanta perpeſſus eſt, & malorum opinionem mala ipſa ſuperauerūt.

Sed vt barbaros propius contemplemur: illis patria multiplex, quippe quos hinc Cimbricus ſinus, quos Germania, quos Scythicis furoribus Mœotis palus immixta, quos illinc Perſis, quos Arabia in nos eructauit. Videlicet hos Auſter effudit, hos Aquilo; vterque mundi limes in noſtram perniciem coniurauit, ſeu flammis torrida regio, ſeu perpetuo gelu fera, omineris licet, vtroſque à loci ingenio non diſceſſuros; accenſos odijs alteros, alteros gelido pectore, pietate nulla, vtroſque iuxta barbaros, humanoque

eoque generi perdendo natos; ſiue ſuis ab arenis vaſtitatem afferant,ſiue rigorem ſuum à Caucaſo.

Cauſæ ſuis à finibus erumpendi multæ.primò Superorũ vindex ira,ſceleribus ſemper infenſa,& quà minime rentur impij,hac perniciem paritura.tum hos armauit fames; hos efferauit ignominia; hos diuturna ſeruitus accendit; hos negata ſtipendia tumultuari coegerunt.omnes furor,& inſania in necem primò,mox in gloriam inflammauit;& quos antea neceſſitas,mox vincendi decus,barbaros etiam vellicans,duxit,quò libuit. Præterea quà mutandi ſedes ſtudio in proximos immiſſi;quà ſibi fidens numerus erupit in bellum;qua prædandi dulcedo,& rapto vita procurata ſuauior,opulentiores prouincias indicauit; quà cæterorum euentus,& confecta feliciter bella in ſimile facinus audaces ſocios euocauerunt; Multis caritas,& fides in ſuos bellandi furorem iniecit; multis aliorum perfidia,multis ignauia principum,multis fraus fœderatorum, multis vel inertia Ducum,vel imprudẽtia,ſæpe etiam iuſtus dolor aut exercitus prodidit,aut Romanorum prouincias tandem aperuit. Quippe Lupicini

aua-

auaritia exurgunt in Romanos Gothi; Valentis ignauia exercitus ijdem delēt; & Conſtantinopolim quatiunt; Ruffini perfidia Gothi quidem in Græciam; Dalmatiamque, Hunni in Aſiam, Armeniam, Syriam immittuntur; Stiliconis ambitione Alarico aperitur Italia; Bonifacij Comitis fraude traijciunt in Africam Vandali; Eudoxiæ furor in Maximum Romam prodit Genſerico; Narſetis iniuriæ excitant Alboinum; victorum faſtus, ſæpe omnia infra ſe reputantium, dum deſpicit, ac nullos putat, ſuas vires indicat Saracenis, dum negligit, & cunctatur imprudēter, Aſiā, atque Africam iiſdem victoribus tradit.

Illorum vero numerum quis conficiat? prę quibus Xerxis exercitus, manipulus videbatur. Octingenta Vandalorū millia numerantur à Genſerico; Gothorum quadringenta millia explicat Rhadagaſus; Hunni ad ſeptingenta millia ducuntur ab Attila, quibus totidem è Romanis, Gothiſque Aetius, ac Theodoricus opponunt. cumque fere Cælitum non vndique ſæuientium ira malorum magnitudinem paucitate; multitudinem paritate mulceat, atque in exercitum locuſtas cogat, leones, ac mōſtra

ſin-

ſingulos tantum aut binos immittat;tamen miſerrimis hiſce temporibus mos hic abrogatus eſt. Quid quod ijdem hydra feraciores, acciſi cladibus fœcundius pubeſcebant;alijs obrutis, prorumpebant alij partu feliciore. quadringenta Gothorum millia in Feſulanis montibus cadunt;nec Gothorum imperium infirmatur. totidem Germani cęduntur in Gallia, totidem intra Rhenum coercẽtur, ſed à Francis ſtrato nauibus pelago, occupataque Libya vindicantur. Saracenorum ducenta millia Romani in Syria, quadringenta millia Carolus Martellus in Gallia, octoginta millia Ramirus alter, alter ſeptuaginta millia in Hiſpania tumulat;illi tamen inſolenti fœcunditate numeroſius reuiuiſcunt.

Sed iuuat hic gentis etiam immaniſſimæ ingenium perſequi, & crudeliſſimam peſtem vndique euoluere. Primo igitur abraſo occipitio, promiſſa barba Longobardi, Gothi contra demiſſis in aures antijs, parte genarum enutrito pilo,& parte conuulſo. omnes barbarice capillati, & confuſa in horrorem cæſarie, leones iubata ceruice ſimulaturi, quibus feritate præſtabant. pellito vulgus indumento tegi, parique cultu Reges

ges incedere, vt vulgo commendarentur, id ſagum placuit patrijs niuibus tolerãdis.quis crederet tam vili chlamyde tantam ſuperbiam, tam placida,mitique tantam crudelitatem eſſe contectam? Saracenis vero pulchrior cultus,ac mitior,ſed animo fœdiore.Iam vero fides, humanitas, pietas apud barbaros barbara nomina;apud quos magnum decus cædibus vndique, ac lanienis ferarum in ſtar exaturari, rapere, perdere, flammas ſerere, vbi ferro non eſſet locus; præterea ſua ſingulis barbaries, mitior alijs,alijs efferatior; &, quod miremini maximè,inter tam fera monſtra virtutis pleraque ſemina.ſæpe fide in ſuos nobiles.ſæpe inter ſe digladiantes, vt ſubinde barbarorum manu barbari oppreſſi ſint. In hoſtes hoſtiliſſimo animo,in fœderatos coniũctiſſimo. Mobiles multi,atque alio a Regno aliud aggreſſuri; multi fixere ſedem, & Scythicam vagãdi libidinem vincendo compreſſerunt. Hi Romanis ſemper infenſi, illi Romanum fœdus ambiuerunt,Imperatorũ honoribus aucti,atque in Patricios adoptati.Crudi omnes,& inhumani, longa tamen die molliti nonnulli, nonnulli ſuis moribus sẽper hærentes: temulenti

ali-

aliqui, & in vinum, & venerem proni, aliqui pudicitia nobiles, qua laude Vādali celebrantur. Nulli non prædæ cupidiſſimi, ſæpe tamen pepercere ſacris, ſæpius ſacra pariter, ac profana vaſtarunt, hoc vno à ſe, & a Scythicis moribus alieni, quibus aurum vile eſt, ac diuitiæ graues. Ignoti omnes, ruſtici, ac terræ filij, ſed nobilitatem affectantes; quare claro ſanguini, apud illos non minimus honor habitus, cum tamen nihil clari relinquerent vel inter vetuſta monumenta, vel inter vetuſtam nobilitatem.

Cæterum longa ætate nulla apud illos iura, hominum pariter, ac numinum contemptores, nulla religio, templa, ac penates nulli, ſed paulatim meliorum conſortio Chriſtianis ſacris adhæſere. Arianorum principio fabulis mixti tam pertinaciter, vt ſancto ſanguini nuſquā parcerent; tandem purioribus afflati radijs, cælo redditi ſunt. Saracenos excipio, ſemper ſibi ſimiles, & Mahometana lue fœdiſſime corruptos.

Bellandi ratio fere barbarica; non duci conſilio, ſed rapi furore; numero, viribus fidere, non ordinibus, non virtuti; perdere potius, quam vincere; quā-

cum-

cumque pedem ferrent, ruina, vaſtatio ſequi; vt imperarent, extinguere, in quos erant imperaturi; torrentis inſtar excurrere, rapere omnia, atque omnia deuaſtare. Excipite leuia quædam vulnera barbarici mucronis; cætera ſecum reputet, ſi poteſt, dolor. tum primò maxima pietas viſa, ſi rebus omnibus ſpoliati, viuere tantum homines ſinerẽtur. tum in eam mendicitatẽ Regibus quondam pares deiecti Senatores, vt oſtiatim obolum quærere cogerentur. tum ea rerum omnium caritate populus laborauit, vt in foro exclamatum ſit, Pretiũ ponite carni humanæ. Ita ſepultæ vrbes, vt nec earum locus, nec nomen reliquum ſit; ita vaſtatæ prouinciæ, vt decus, limites, nomen amiſerint; ita perditi populi, vt ipſi barbari ſuperfuerint, prætereà nemo. Noua rerum repente facies, noua regnandi iura, noua Dynaſtarum potentia, Regium denique nomen, quod millenis ab hinc annis non audiuerat Roma. Romana nobilitas, æquale Superis nomen, antiquæ ceræ, & glorioſiſſimus imaginum fumus hoc incendio depaſcuntur. Gentium omniũ ſpolia Romana vi illuſtrandæ Italiæ collata, inſanæ ſubſtructiones tot Im-

 pe-

Digitized by Google

peratorum magnificentia in Cælum, euectæ, ſuos ciues tumulaturæ, miſerrimè tumulantur. Romanum Imperium tanto ſanguine toties emptum, tot Principum, & imperiorum exitio in illud confluentium, toties auctum: cuius auguſtum nomen Reges adorabant; cuius nobiliſſimo principatu ſuperbiebant nationes: cui nec rerum metæ, nec tempora dicebantur impoſita; barbarorum, ſeruorum videlicet manu dilaniatum, ludibrio habitum, extinctum omnino defletur. Sed deplorent hæc alij vel vberiùs, vel feliciùs. equidem literarum cladem aggrediar, ac barbariem inuectam à barbaris.

Solenne apud illos fuit, cum in pugnam exardeſcerent, faces ſuas primò ſupponere bibliothecis; nullo litare Marti ſanguine, niſi quem è philoſophorum præcordijs hauſiſſent; nec aliũde victoriæ laurum legere, quam à demeſſo capite ſapientium. Ciceronis, Liuij, Saluſtij, Taciti monumenta funeſtiſſimè mutilata, barbarorum vulnus eſt. Autorum volumina pœne infinita, ita obruta, vt nec nomina ſuperent, barbaricum ſcelus puta. Græcam, Romanamque linguam ea barbarie conſepul-

tam,

tam, vt tot ſeculis tota Italia, Hiſpania, Gallia, Germania nemo reperiretur, qui latinè, vel græcè ſciret, barbaris vnis acceptum refer. Siluerunt tam miſeris temporibus academiæ; ſi tamen tam miſeris temporibus vllæ fuerunt academiæ. Nullæ memorantur bibliothecæ; ſi tamen tanta in barbarie fuerunt, qui bibliothecis vterentur. Nullus fauens poſteritati ad ſcribendum aggreſſus eſt; ſi tamen vlla vnquam à gladio vacare potuit dextera, vt ſcriberet.

Sed vt in extinctæ ſapientiæ buſto vberius illacrymemur, toto terrarum orbe volitandum eſt. Adeatur Thracia primò, quam Conſtantini opera Athenis non inuidiſſe, Zonaras memorat; cũ in ſapientiæ prodigium centum viginti voluminum millibus bibliothecas onerauerit. In hac nationum omnium Regia (ſileo librorum incendia à pleriſque Imperatoribus repetita) eo redactum ſolium eſt, vt Michaelem Balbum exciperet: quam belluam, Deus Immortalis! Hic cum tandiu hæreret legendo, vt id temporis ſui nominis elementa percurrens abſumeret, quod elementarius puer in perlegendo libro triuiſſet, ne ab infantibus eruditione ſuperaretur, gym-

naſijs omnibus, ac diſciplinis humano generi iuſſit interdici. ſed tam immane facinus potuit à Thracum furore ſibi terra metuere, in literarum cladem iam pridem conſpirantium. Illic Orpheum olim Baſſarides diſcerpſerunt, indicaturæ poſteritati, quantum in ſapientiam tam barbara natio poſſet audere. Verū non impune ceſſit audacia; ferunt enim Threicia mancipia inuſtis in facie literis fere notari conſueuiſſe; vt quam à corde propellerent ſapientiam, hanc inuita fronte præferrent; quaſi ab incendijs, quibus in literas ſæuiebant, accēderentur literæ, vt in carnificum facies inſilirent.

Hæc Thracia; quid Oriēs vniuerſus? e cuius ſinu prorumpentes Saraceni, id primò ſuis legibus ſanciri voluerunt, vt ſuo omnes ab imperio literæ exularent. Quid Libya? vbi miraculo factum putat Baronius, Auguſtini eruditiſſima volumina Vandalorum incendijs non conflagraſſe. Quid Hiſpania? in qua quingentis annis ita literarum memoria iacuit, vt ſi quis ſciret, ignominia notaretur; ſi Aragonio principi Alfonſo patriæ barbariem deploranti credendum eſt. Quid Gallia? cuius in Regia iuſſi sūt

à pa-

à parentibus principes latinè omnino neſcire præter hæc verba, Regnare neſcit, qui neſcit ſimulare. Quid Germania? vbi cum bibliothecas quærerent hoſpites, in armamentaria deducti ſunt. Quid Græcia? vbi bibliothecis omnibus expilatis, in Athenarum foro libri omnes ab Alemannorum barbarie congeſti, vt crudeliſſimè incenderentur.

In te ad extremum ſiſtet oratio mea, miſerrima Italia, quò translatam ab Athenarum ſinu ſapientiam, deplorare conſueuerant Græci. Id autem temporis doctos magiſtratu, concilijſque procul arceri ſolitos, affirmat Aeneas Siluius. Siluiſſe gymnaſia omnia; neque Agapeti Pont. autoritate ad docendum quenquam allici potuiſſe, teſtatur Caſſiodorus. Ab Agathone Pont. coacto Patrum Concilio, in ea præſtantiſſimorum capitum frequentia inuentum neminem vel mediocriter inſtructum, qui ad Imp. Conſtantinum Pogonatum legari poſſet, eiuſdem Pontificis literæ deplorant. Tuo denique in ſinu, infelix Italia, in inſcitiæ prodigium, illud hiſtoriæ perhibent; adeo poeticen perditam, vt cum neſcio qui inter poetas numerari, & canere inciperent, vel è Tar-

taro erũpiſſe homines,vel magicis artibus vulgo crederentur id aſſecuti, quæſitique diu , vt veneficorum ſupplicijs afficerentur. En quo barbarorum pernicie poetæ deducti ſunt:ille diuinus vatum ſpiritus,ille Superum cæleſtis afflatus, poetæ Cælitũ genus, monſtrorum inſtar,ac portentorum, è Tartaro prodijſſe perhibentur. Quorum parens Vrania cælo præficitur:quorum æmulæ Sirenes cęleſtium concentus orbium dicuntur temperare:qui Pegaſos,lyras, cygnos ſuos inter ſidera tranſmiſerunt; illi à Stygijs horroribus reuocantur. Deplorate Heliconem veſtrum,ac Parnaſſum poetæ olim multiplici vertice ſideribus proximos, nunc in immenſas voragines deſidentes:veſtros fontes in Cocytum,ac Stygem verſos: Apollinem,in Plutonem, Muſas in Erynniės degenerantes. Deplorate laurus veſtras in cinereas populos, dulciſſima carmina in flebiles vlulatus, ſuauiſſimam cygnorũ ſymphoniam in ſerpentium ſibila, ac ferarum rugitus infeliciſſime deflectentes. Fabulata ſit antiquitas aliquando Tartara à poetis penetrata, vt æternas Plutonis iras flecterent; vt inter perennia pœnarum tempora interualla ſerent

rent

rent aliqua ſuauitatis; vt ignota ſeculis omnibus gloria, Stygem præda ſpoliarent.non tamen adeo inſaniuit,vt poeticam dulcedinem, & vatum ſuauiſſimum nectar adeo deſipere, & acerbari putaret, vt inferna venena, aconitorum amarorem, & cocytia toxica à poetis crederet propinari. Verum Italiæ parcendum eſt; quippe ſua inter mala luminibus ploranda fortaſſe conſumptis, ac plane cæcutientibus.Potuit enim illa tot ſeculorum cladibus perdita, quæ iā vel ſe ipſa non nouerat, poeticam ignorare. Potuit aſſiduis gemitibus aſſueta, cantus,ac vatum modos obliuiſci;&ſuos inter cupreſſos nec poetarum laurus aluit,nec agnouit. Cum ergo inter horrores, ac lanienas vbique verſaretur, quidquid ſeſe obtulit ſuæ par miſeriæ, è Tartaro credidit erupiſſe; etenim infelici infelicitatem omnia ſapere conſueuerunt.

Sed iam e barbariæ ſinu emergat oratio mea,atque in hac tenebricoſiſſima nocte,cödirigatur curſus,vbi neſcio quid lucis aperit noſtra Parthenope. Quas ego ſyrtes,quæ breuia, quas tempeſtates pręteruectus ſum, AA? Potiamur tandem ſerenitate, quam ſuo in-

gremio ſapientiæ ſuauiſſima Neapolis parat. Cum ergo barbarorum furor diſciplinas omnes vbique contumulaſſet; exturbata vndique ſapientia, ſe in patrium receperat cęlum; illic compares inter Diuos æuo aſſueta beatiori, pleriſque ſeculis noſtræ mortalitatis oblità diutius agitauit; cum natiua ſæuitie paulatim ſpoliari, ac miteſcere barbaros intuita eſt. quare miſerata mortaliū, noſtras iterum plagas beare conſtituit; ac terrarum orbem vniuerſum è ſuperis orbibus ſpeculata, primo aſpectu Neapolim legit, è cuius ſinu renaſceretur. Quam Vrbem, Deus Immortalis! Gratiarum ſedem, & aſylum beatitatis, pro qua potiore pugna, quam Attica pro vrbe, Numina decertarent: vrbem inter Sirenes adultam, vno ab Apolline ſuis accolis indicatam, literis adeo nobilem, vt prius ſuo in ſinu gymnaſia, quam domos eduxerit: prius philoſophos, ac pręceptores exceperit, quā ciues: prius viſa ſit docere, quam eſſe. quam ab Athenis profectam, affirmauit antiquitas, ne pudor eſſet Gręcię à Neapoli ſuperari: quam primo naſcitura legere potuiſſet ſapientia, ſi vel terræ vllæ, vel Neapolis aliqua fuiſſet, cū nata eſt.

Sed

Sed Neapolis maximè placuit, quod terras omnes intuenti ſapientiæ, minima barbarorum veſtigia viſa eſt vel ſeruaſſe, vel excepiſſe. Etenim Gothicum fulmen, quo Europa concuſſa eſt propemodum vniuerſa, Neapolim attigit quidem, ſed vt Neapoli extingueretur. Ferunt enim Theodorici Principis ſtatuam Neapoli conſtitutam, Gothorum exitia prænunciaturam, repente capite mutilatam. An id prodigium Sirenibus dandum eſt, Amphionis voces æmulaturis? vt quoniam huius cythara trahũtur ſaxa; illarum lyra ſaxa diſſiliant, dũ vrbem Sirenes ſeruent, Amphion ædificet. Quid Vandalorum furor? qui Genſerico Duce, Carthagine, Romaque expugnatis, in mœnia Neapolitana deductus, ſenſit hic tantum ſe poſſe vinci. Longobardi tota Italia volitantes, vbique victores, hæc mœnia quatere non auſi ſunt. Saraceni denique ita à Neapolitanis afflicti, vt ſemel tribus Regibus cæſis, iterum, ac tertio maximis cladibus fuſi perhibeantur. Supereſt adhuc victoriæ teſtis, & gloriæ monumentum, marmore terebrato clauus fixus hic eſt, hoſtes fugiunt, tam hic ſtabilis, quam illi celeres. ſed potuit clauo celerrima fu-

Digitized by Google

ga notari in victoria fortaſſe cæleſti, quippe ſidera cum velociſſime volitent, fixi cælo claui perhibentur. Videbatur ergo barbaries alijs in vrbibus inſediſſe, Neapoli pertranſiſſe tantum; videbatur barbarorum incendio cæteræ vrbes iam in cineres diſſolutæ, Neapolis vix afflata; videbatur noſtra Parthenope ſpectaſſe potius alienas clades, quam ſuas ingemuiſſe. Quin ergo ſapientia hic primo renaſceretur? quam vrbem, cum omnes defeciſſent ad barbaros, ſibi fidam aſpexerat.

Quid? quod legenda hæc potiſſimum ſedes renaſcenti ſapientiæ fuit, vt facilius toto terrarum orbe deduceretur: cũ conſueuerint ex hac vrbe à primis vſq; temporibus diſciplinæ omnes ab omnibus nationibus peti. Aſpice huc, e Numidia Madaurenſem philoſophũ Apuleium appellentem, vt Platonis imbuatur inſtitutis; Alexandrinum vatem Claudianum ex Aegypto, vt noſtro in littore à Sirenibus mutuetur ſuauitatẽ; Pergamenum Aeſculapium Galenum ex Aſia, vt in ſaluberrimo cælo largiri ſalutem edoceatur. Aſpice Neapolim ex Ithaca Vlyſſem inuehi, vt ea inſtituatur eloquentia, cui Neſtoris mella

ceſ-

ceſſerunt. Neapolim è Lemno properare Philoſtratum, vt ſuas concinnet imagines. Neapolim ex Iudęa victorem Veſpaſianum excurrere, noua ſapientię theatra poſiturum. Noſtris Gymnaſijs Hiſpania Senecam auditorem vel ſenē immiſit; Germania Federicum Imp. nouas ſapientię palęſtras daturum aduexit; Auguſtum, ac Neronem Roma Neapolitanæ ſcientiæ dedit admiratores. Mitto de reliqua Italia dicere, quam vniuerſam ad Statij patrem audiendum Neapolim tenuiſſe, dulciſſimus filius tradidit. Debuit igitur ſapientia ſuos hic fontes educere, vnde gentium omnium flumina deducuntur.

Verum enimverò ne videamur rem longius fortaſſe deducere, diſciplinarū ſyllabum, quæſo vos, percurramus. Ac primò vt humanæ, diuinæque ſapientię cunas Neapoli ſtatuamus, Thomas Aquinius facit, in quem, quaſi in ampliſſimum pelagus omnia doctrinarum flumina confluxiſſe, à quo perhibent effluxiſſe. Nunquam altiùs aſſurrexerunt ingenia, nunquam profundius penetrauerunt. cum euolueret humana, ſupra homines: cum diuina, Diuis proximus viſus eſt. Nec illi ſuperiorem antiquitas,

nec

nec poſteritas parem ferat,magno vtiq; cæli miraculo terræ datus. Tamen tantus vir (vbi non mortalitas fallitur!)bos mutus inter æquales nuncupari potuit; verum nec illo quiſpiam aut exclamauit altiùs,aut celeriùs euolauit. Atqui bos viſus ſit, ſterileſcentem ſapientiæ campum ſuo ingenio quaſi aureo vomere proſciſſurus.Interea Gallica,Germanicaque ſuggeſta tam magno præceptore ſuperbiunt,miranturque ab aquis in litus cadauera proijci ſolita,ab Aquinio etiam animari,cum eius opera extinctæ doctrinæ reuixerint. Non negauerim tamen,& cum Thoma,& ante Thomam Theologos memorari; ſed reuocatæ ſapientiæ laudem quis Thomæ præripiat? illos auroram dixeris; hunc ſolem.illi cęperunt aliquid, hic perfecit. illos denique natura pręmiſit,vt quibuſdam veluti gradibus in Thomam aſſurgeret. quid plura?cæteri rudimentum fuere ſapientiæ Thomam facere condiſcentis.

Poſt cæleſtes diſciplinas, Politicen, ac regnãdi potiſſimum artes aggrediar; cum nihil hinc propius Diuis, quam Reges habeamus.Proferatur ergo Principum lumen Robertus in medium, quē

vno

vno ſapientiæ nomine in Regnũ à Clemente Pont. euectum, affirmant hiſtoriæ. Vnus hic Platonis effatum, quod implere ſatis fuerat, voluit etiam ſuperare; cum enim Regem vel ſapientem eſſe, vel ſapientium amatorem Philoſophus iuſſerit, ea præditus ſapientia fuit, vt annis ante quingentis parem illi ſapientia principem nulla tulerit natio; tum ea ſibi ſapientes familiaritate coniũnxit, vt eius Regia in academiam degeneraſſe videretur; quaſi inter Neapolitanas Muſas ipſe Apollinem referre geſtiret.

Agite iam, poſt Reges regium opus leges aggrediamur, quæ ſuperioribus maxime ſeculis iacuerunt, cum Gothi, Longobardi, ac ſordidiſſima barbarorũ fęx in noſtras regiones immiſſi, diù exleges fuiſſe perhibeantur. Cum igitur tot inter bellorum procellas primo legum tabulæ feciſſent naufragium; ecce tibi inter Neapolitana rudera, ac vetuſtatis monumenta emergunt rediuiuæ pandectæ; quibus deinde nomina fecere Florentini. Videlicet fata mortalibus indicare voluerunt, repertas hic leges; quòd cunctis nationibus poſſet imperare Neapolis. Interea noſtra ſecula iacta-

re poſteris poterunt, quondam ab Orpheo, Mercurioque efferatis hominibus leges traditas, nunc iiſdem in barbariem, feritatẽque degenerantibus leges traditas a Sirene, ne quem naſcentes quondam leges cantum exceperant, renaſcentes deſiderarent.

Orphei nomen extinctę poetices memoriam reuocat, quam Neapoli reuixiſſe, nefas eſt non affirmare. Cum ergo vatum ludibrio poetæ in veneficos, & in magica carmina eorum carmina dicerētur degeneraſſe; vna Roberti Principis regia trecentis poetis abundauit: tot frontibus coronandis Penei laureta defeciſſe crediderim; aruiſſe tot hauſtibus Hippocrenem; Parnaſſum vel bicipitem tot poetarum choros excipere non potuiſſe. quis crederet cum Muſas vix nouem numeremus, cum Sirenes noſtræ vix æquent numero Gratias; poetas feliciſſima feracitate in exercitus excreuiſſe? Natura bonorum ſterilis parens, feraciſſima alioqui malorum, ſuas hic leges oblita eſt. An illa terrarum orbi conſuluit, cumque tam late patentem barbariem minor numerus non expleret, illi mulcendę tot poetarum agmina explicauit? An vt tot ſeculorū

ino-

inopiam reſarciret, tot repente poetas edux it ?

Ad extremum, ne longius euagetur oratio, hic latina cum lingua reuixit eloquentia, Iouiani Pontani diligentia, qui à Ioue nomen videtur mutuatus Mineruam ſuam Neapoli pariturus. Aſtronomia, à quibus repetenda niſi à Sirenibus, quas aſtris aſſidere contendit Plato? Vitrei certe tubi contemplandis ſideribus ducti, Neapolitanorum ciuiũ laus eſſe perhibetur. Italici numeri, ac ſuauiſſimi rhythmorum concentus, ſiquid habent nitoris, & gratiæ, noſtro littori tribuant, neceſſe eſt; vbi ſuo melle Sirenes Torquatum Poetices principẽ imbuerunt. Ars nautica eo miraculo ſuperiore ſeculo nobilis, vt Herculis metas exoſa, ignota littora, ac nouos orbes adierit, nauticæ pyxidis beneficio tantum facinus auſa eſt; ſed hanc finitimi noſtri regendis nauibus, cæloque notãdo primum adornauere. Quaſi naues noſtra Siren tam longe propelleret, vt mendacij argueret antiquitatem, naues à Sirene firmatas medijs in curſibus fabulantem. Videlicet vna Neapolis denuo Indicum iter aperuit, quod olim mortalibus inter huius Vrbis natales

pri-

primus Salomon aperuerat, ad Erytręi portus indigitant in Aſiongaber claſſes ædificatæ. Vt quæ in lucem cum Salomone prodijſſe perhibetur, tam magnũ Salomonis facinus feliciùs inſtauraret.

Sed iuuat aliquando à tam longa nauigatione vela contrahere, in qua Neapolitanæ laudes nos ad Indos vſque traxerunt. Vidimus igitur barbarorum incurſionibus extinctam ſapientiam, vidimus Neapoli rediuiuam. Quantum barbaricus mucro proſtrauit, tantum Neapolis vna reſtituit. quidquid crudelitas inimica demeſſuit, iterũ noſtro in ſinu pubeſcente fœtu refloruit. Plaudite interea vos Neapolitanæ gloriæ, Proceres nobiliſſimi, ſcilicet parentibus filij, patriæ ciues, magiſtræ ſapientes. Contra vero deſinant hic doctiſſimos cineres, & ſapientium cadauera exteri quærere adoraturi, ſiuè Sirenis tumulos, ſiuè Virgilij manes, ſiuè Lucilij cineres, Liuijque. laus eſt aliqua tumulari voluiſſe Neapoli ſapientes, magis eſt oriri voluiſſe Neapoli ſapiẽtiam. Quęrant ergo non illorum tumulos, ſed huius cunas, nec poetarum commentis acquieſcant, albere hæc litora cadauerum oſſibus affirmantium; cum quid-

quid

quid alibi cadauеroſum eſt, hic vigeat; quidquid alibi funeratur, hic reuiuiſcat. Cæterũ illud vos oro, obteſtorque. Reputate vobiſcum, cum rediuiuam accipitis ſapientiam illam aliquando periiſſe. Quam timeo, ne quam bis ortam accepimus, bis extinctam deploremus. Nõ vſque ſupra fortunæ rotam, extra fulminum iactus, longe à fatorum iure ſapientia eſt. cecidit aliquando, videte ne iterum caſura ſurrexerit. Illam igitur veſtra diligentia immortalem reddite, à qua vna immortalitatem comparamus, & cum tam longe exulet ab hac vrbe barbaries, nolite quæſo vos, perdendæ ſapientiæ cum barbarie conſpirare.

Dixi.

DE ASPIRATIONE PRÆFATIO.

Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor.

Et iam tempus equum fumantia ſoluere colla.

Iſdem verſibus hodie, emenſo Grammaticæ ſpatio, vos ego affabor, AA. quibus Virgilius cecinit, cum in Georgicis deſudaſſet; præcipue verò, quod ablegatum H. inter literas reuocandum ſit; habebimus etenim quo æſtum, ſudoremque in itinere excitatum melius tẽperemus, cum nos in Aſpiratione, quaſi flantibus auris, conſtituti ſimus. Hic igitur vt à ſuſceptis laboribus veluti reſpirem, vobis ſpiritum proponam: & cum ſumma quæque maxime ventis obnoxia

ſint,

ſint,literaturæ cacumen , quod ſuperauimus ; huius aurâ literæ ventilabitur. portus ventorum expertes eſſe nouimus,ego verò,quamuis ad grammaticę portum appulerim , tamen his veluti flabris impelli me patiar ; atque H. ad Grammaticæ calcem reijcio , vt quoniã ferè ſub veſperum , ac decedente iam die flare Zephyri incipiunt , mea etiam reſpiratio , properante veluti ad occaſũ Grammatica,excitetur.Hoc igitur temporis , quò moroſiſſimam artem exoſis Emanuel è manu elabitur neglectus ; ac Priſcianus iam priſcus incipit audire, & in ſua vetuſtate , ſenectute , vel potius morte vindicibus flammis tradendus , ac rogo abſumendus eſt;ignes his veluti flatibus concitabimus; dumque literatura animam pœnè agit,ac ſpiritum efflat extremum,ſpirantem literam, animoſũ elementum exponam. Vel potius ſpiritum afferam , cum ad Rhetoricen properemus, vt quæ aquas , atque imbres imitatur , comitantibus ventis incedat, & pluuiæ non niſi vento concitentur . quid? quod aliquid etiam vatibus dandũ eſt, quibus inferi iam iam incipiunt auditores mei , vt dum agi poetico ſpiritu incipiunt , hoc itidem ſpiritu veluti af-

ſlentur. Sed iam ventis permittenda sũt vela, ſoluendum eſt, intendenda ſunt carbaſa, dum flabris tam feliciter vtimur; prouocandi ſunt hoſtes; ineundum de aſpiratione certamen eſt; vbi me potiùs, quam in Romani Imperatoris pugna, auditurum ſpero.

Et coniurati veniunt ad claſſica vẽti.

Grammatica inter literas vnas olim verſari conſueuiſſe perhibetur, e quibus Grammaticæ nomen etiam ad poſteros ductum eſt. nomen, ac verbum inflectere inſtituit Plato. tum paulatim in id faſtigium literatores euecti ſunt, vt Poetas laceſſere, coarguere Oratores, ac Rhetores in promptu ſit. Homerum dormitare, aures à Demoſthene non impleri, Ciceronem aſiaticum, Saluſtium antiquarium, Liuium patauinitatem ſapere, Tacitum minùs latinum affirmant; Philoſophos relegant ad barbaros; ne Imperatoribus quidem ius vllum in latinũ verbum eſſe concedunt. tamen facere non poſſunt, quin antiquo genere, literis ſcilicet delectentur; quapropter vtrinque literis artem omnem concluſerunt ſuam; & cum non niſi literæ elementarijs pueris principiò traditæ ſint, tùm abſoluta grammatica, de literis, ac

ſyl-

ſyllabis quæritur inter literatores. Sed neſcio qua inſcitia, ne dicam crudelitate, hoc loco à literis aſpirationem expūgunt; videntur enim inter elementa aerem non numerare; atque Hyperboreorum inſanias æmulari; qui in ventos aliquando aciem inſtruxiſſe perhibentur: ita intercluſo ſpiritu literas veluti ſuffocant, & auram hanc à literis duci non ſinunt, quam omnibus omnino patere natura voluit.

Et cunctis terramque, auramque patentē.

Equidem antequam inimicorum opiniones aggrediar, ac prorſus iugulē, quædam præmittere ſtatui, quibus notas omnes, ac literas feliciter teneamus. Iubet ergo in ſuis inſtitutionibus Quintilianus primò, tùm Hieronymus ad Celantiam, quo puerorum animi literis facilius imbuantur, calculorum inſtar, ac teſſerarum buxo, hebeno, ebore, auro, argentoque fingi, conflarique literas; itaque per ludi ſpeciem ad ſingula elementa aditus aperiendus eſt; ibique imprudenti puero digitus ad literarum frontem, calcem, dorſum, latera, vertebras, compages, iuncturas, ac nodos intendendus. hàc angulus turbinatur: illàc faſtigiantur mucrones, & cuſpides: exur-

gunt eminentiæ: recedunt hiatus: lacunæ aperiuntur: torquentur orbes, ac circuli: extant leuiter apices: excurrunt crura: flectuntur ſinus: conſtipantur, & obſtruuntur anguſtiæ: pateſcunt intercapedines, & interualla. literarum hæc æquabili tractu, ſimilique ductu deriuatur; illa erratico fluxu ducitur, & anfractibus concidi videtur: quà chelas admoueri cernimus, extendi, exporrigi brachia: quà recedere lacertos, articulos, & internodia aufugere, reuocari. pleræque dentibus, atque acutiſſimis vnguiculis adhærent ad ſocias: pleræque pediculis ſuis à proximis diſcedunt: quà conos acuunt: quà camerantur in fornices: quà ponticulos, quà teſtudines imitantur. nunc deprauant, ac diuaricat tibias, nunc prauas, diſtortaſque æquabili ductu dirigunt; tenues aliæ, graciliores que; craſſiores aliæ, ac toroſiores; denique aduncæ, rectæ, contortæ, orbiculares, compari, diſpari vultu, ſimili ſpecie, diuerſaque, lineamentis aut alijs, aut propemodum ijſdem.

Hic vero in tam multiplici literarum forma, vt generoſi puerorum animi gratiùs ad artem accedant, armis elementa quæque conformanda. ab aliqui-

bus

bus in abſoluto circulo parmas, vmbones, & ſcuta referri animaduertes: aliquæ in vlnam proiectæ pila, iacula, gladios exprimenti quaſdam in hemicyclū flexas intentis arcubus, peltis, geſis, & cornibus ſimiles facies: nonnullas bene capitatas, cum arietibus, baliſtis, teſtudinibus compones: quædam multiplici pede inſerendæ, intexendæque ſunt; quò vallum implicato veluti ramorum nexu deſcribant: quædam vilioris notæ inuicem impoſitæ coaceruandæ ſunt, quibus aggeres erigantur.

Tamen ne tanta rerum multitudine infantes onerentur, potiore ſane conſilio, corporis inflexione quadam literas efformari preciperem: itaque porrectis, contractis, ſinuatis brachijs: nexis, diuaricatis cruribus; poplitum vel alterutro, vel vtroque, vel neutro flexo, intentoque: aut rectum, aut pectori affixum caput, dextrorſum, ſiniſtrorſum deiectum: corpus denique totum vel cubito incūbens, vel reſupinatum, vel pronum, aut certe ſtans, motibus, geſtibus quà ſedatis, conſtantibuſque, quà citatioribus, & volubili quadam catenatione membrorum, vt in Petroniana larua Trimalchionis lautitias admirati conuiuę ſunt,

 aut

aut in expoſitis mortalibus ſæpe videre eſt, cum hic elumbis, aut debilis coxendice, vel lacerto, hic conuulſis manuū, ac pedum articulis; hic eliſis cruribus, talis, ac poplitibus tortis, ille inuiolatis alis, ac pedibus ſed eneruato fęmore, & pectore, ſcapuliſque in deforme tuber extantibus, luxatus, tremulus, mancus, ſemiuiuus vel bacillo, vel tibicine innixus, deformi lacertorum flexu, conuolutiſque membrorum compagibus, literas quaslibet ob oculos ponimus.

Sed adhuc faciliore methodo elemēta proponam, nec illa quidem geſtu, ſed ipſis vultus lineamentis expreſſa. Intuere igitur oris humani ſpecioſiſſimum theatrum; hic linguę ſpatium in mucronem paulatim coactum A tibi, atque V. exprimet. in ſuperciliorum iugo cum affixis luminibus contemplaberis B. in aurium ſemicirculo C. G, atque E. conſpicienda ſunt. mentū iugulo imminens, juguli que protuberans nodus P efformabit. Naſus ſibi ſemper ſimilis, atque à fronte æquabiliter fluens L, atque I proponet. idem ſi ſupercilijs affixus T, ſi cum oculorum alterutro proponetur qua D, & Q, qua P commonſtrabit, O in aurium, oculorum, atque hiantis oris fle-

flexibus deſcriptum intuemur. Z, atque S in tortuoſiſſimo aurium aditu, ac veſtibulo torquetur, ac ſerpit. At vero quo noſtra excidit H, ad quam omnis oratio pertinet, A A? ſed hanc etiam videre eſt ampliore ductu, ac potiſſima oris parte deſcriptam. ſtatuo igitur aſpirationem in barba pubeſcere, atque à natura inter menti ſetas omnino ſitam. etenim duplex pilorum ſemita ex vtraque mala deſcendens, ac pubeſcens labijs interiectis vtrinque diuiſa, in huius literæ ſpeciem fluere mihi videtur. illam ergo ſyluoſo mento concludimus, nec aſpirationem alibi verſari permittimus, niſi in iuuentæ flore, vt ibi ſpiritus potiſſimum verſaretur, vbi flores intuemur, qui afflari fauonijs ſolent. ſcilicet vt pili cognomines pilas æmularentur, quæ ſpiritu tantum, ac flatibus intumeſcunt. Quæ quidem cum ita ſint, ò quam in Ebuſi barbam Maronianus Chorinæus ſpiritum noſtrum optaſſet, cum ſenticoſum illud mentum ambuſto torre corriperet, vt præclarè illo carmine expreſſerat:

Obuius ambuſtum torrē Chorinæus ab ara.
Corripit, & venienti Ebuſo, plagăq; ferēti
Occupat os flāmis; illi ingēs barba reluxit;

Ni-

Nidoremque ambuſta dedit .

Vel certè cum candente carbone capillorum,ac barbæ luxuriem depaſcere Dionyſius conſueuerat;par erat,inquã, hunc illùc ſpiritum euocare, quo flammæ concitarentur. Ventos ab Aeolo villoſo vtre concludi ſolitos legimus, nunc ſpiritus villis ipſis aſtringitur; ac ſagarum ſuperſtitionem imitari videmur, quæ pilorum nexu ventos aut ſoluunt,aut obligant ex voluntate. quod quidem ſi veritati conſonum eſt A A. in hac barbæ aſpiratione; cum incaneſcũt pili,niualis, ac pruinoſus Boreas fureret;cum nigreſcunt, Eurus exurgeret, nigerrimo nimbo concitatus; in flaua, ac florente barba Zephyrus;in ardente, ac rubra Auſtri ardores indicarentur. Sed in hanc rem, ſi adlubet ſeculi pœne ſuperioris narrationem attendite.

Franciſcum Phidelphum Tolenti apud Picenos equeſtri ordine natumnè, an inter equites adoptatum, ignoro; hoc tamen ordine illum inter omnes maxime dignum putauerim, quòd inter omnes equitauerit maximè; nam Europam pænè vniuerſam curioſiſſimè peragrauit.Athenas igitur adijt,atque in doctiſſimi oppidi buſto extinctam ſapiẽ-

tiam

tiam lacrymatus eſt. Iliſſus non tam ſolutis niuibus, quam calido fletu auctior properabat. cæterum ex Athenis noctuæ vnæ ſupereſſe videbantur, quæ ferali carmine exeſis à parietinis miſerrimæ vrbis caſum pronunciarant antea, nunc deplorabant. Hinc Phidelphus ad Parnaſſum, atque Heliconis fontem in Bæotiam, tam in Theſſaliam ad Pindũ, Olympum, atque Pæneum vel contendit, vel certè contendere viſus eſt; neſcio enim quo fato loca hæc noctu potius, quam interdiu contuemur; ac tum maximè cernere conſueuimus, cum oculi ſomno maxime comprimuntur. cum tamen Phœbum, diei vectorem ſcilicet, principem venerentur. Sed Parnaſſus duplex caput ſortitus eſt, vt magis obdormiat, atque vt plura ſomniaret, non vno vertice contentus videtur. E Parnaſſo ad Hebrum, ac Strimonem Biſtoniæ feritatis in Orphei cæde teſtes penetrauit, Athum, ac Rhodopem eiuſdẽ cythara ſpoliatos admiratus eſt; tum Helleſponto, Propontide, ac Phoſphoro traiecto, nouam Romam Conſtantinopolim tenuit; vnde Emanuelis Chryſoloræ filia in matrimonium ducta, Paleologi Imperatoris preces ad Italos

Prin-

DE ASPIRATIONE PRÆFATIO.

Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor.

Et iam tempus equum fumantia ſoluere colla.

Iſdem verſibus hodie, e menſó Grammaticæ ſpatio, vos ego affabor, AA. quibus Virgilius cecinit, cum in Georgicis deſudaſſet; præcipue verò, quod ablegatum H. inter literas reuocandum ſit; habebimus etenim quo æſtum, ſudoremque in itinere excitatum melius tẽperemus, cum nos in Aſpiratione, quaſi flantibus auris, conſtituti ſimus. Hic igitur vt à ſuſceptis laboribus veluti reſpirem, vobis ſpiritum proponam: & cum ſumma quæque maxime ventis obnoxia

ſint,literaturæ cacumen , quod ſuperauimus ; huius aura literæ ventilabitur. portus ventorum expertes eſſe nouimus,ego verò,quamuis ad grammaticę portum appulerim , tamen his veluti flabris impelli me patiar ; atque H. ad Grammaticæ calcem reijcio , vt quoniā ferè ſub veſperum , ac decedente iam die flare Zephyri incipiunt ; mea etiam reſpiratio , properante veluti ad occaſū Grammatica,excitetur.Hoc igitur temporis , quò moroſiſſimam artem exoſis Emanuel è manu elabitur neglectus ;ac Priſcianus iam priſcus incipit audire, & in ſua vetuſtate , ſenectute , vel potius morte vindicibus flammis tradendus , ac rogo abſumendus eſt;ignes his veluti flatibus concitabimus; dumque literatura animam pœnè agit,ac ſpiritum efflat extremum,ſpirantem literam, animoſū elementum exponam. Vel potius ſpiritum afferam , cum ad Rhetoricen properemus, vt quæ aquas , atque imbres imitatur , comitantibus ventis incedat, & pluuiæ non niſi vento concitentur, quid? quod aliquid etiam vatibus dandū eſt, quibus inferi iam iam incipiunt auditores mei , vt dum agi poetico ſpiritu incipiunt ; hoc itidem ſpiritu veluti af-

Digitized by Google

ſlentur. Sed iam ventis permittenda sũt vela, ſoluendum eſt, intendenda ſunt carbaſa, dum flabris tam feliciter vtimur; prouocandi ſunt hoſtes; ineundum de aſpiratione certamen eſt, vbi me potiùs, quam in Romani Imperatoris pugna, auditurum ſpero.

Et coniurati veniunt ad claſſica vẽti.

Grammatica inter literas vnas olim verſari conſueuiſſe perhibetur, e quibus Grammaticæ nomen etiam ad poſteros ductum eſt. nomen, ac verbum inflectere inſtituit Plato. tum paulatim in id faſtigium literatores euecti ſunt, vt Poetas laceſſere, coarguere Oratores, ac Rhetores in promptu ſit. Homerum dormitare, aures à Demoſthene non impleri, Ciceronem aſiaticum, Saluſtium antiquarium, Liuium patauinitatem ſapere, Tacitum minùs latinum affirmant; Philoſophos relegant ad barbaros; ne Imperatoribus quidem ius vllum in latinũ verbum eſſe concedunt. tamen facere non poſſunt, quin antiquo genere, literis ſcilicet delectentur; quapropter vtrinque literis artem omnem concluſerunt ſuam; & cum non niſi literæ elementarijs pueris principiò traditæ ſint, tùm abſoluta grammatica, de literis, ac ſyl-

ſyllabis quæritur inter literatores. Sed neſcio qua inſcitia, ne dicam crudelitate, hoc loco à literis aſpirationem expũgunt; videntur enim inter elementa aerem non numerare; atque Hyperboreorum inſanias æmulari; qui in ventos aliquando aciem inſtruxiſſe perhibentur: ita intercluſo ſpiritu literas veluti ſuffocant, & auram hanc à literis duci non ſinunt, quam omnibus omnino patere natura voluit.

Et cunctis terramque, auramque patentẽ.

Equidem antequam inimicorum opiniones aggrediar, ac prorſus iugulẽ, quædam præmittere ſtatui, quibus notas omnes, ac literas feliciter teneamus. Iubet ergo in ſuis inſtitutionibus Quintilianus primò, tùm Hieronymus ad Celantiam, quo puerorum animi literis facilius imbuantur, calculorum inſtar, ac teſſerarum buxo, hebeno, ebore, auro, argentoque fingi, conflarique literas; itaque per ludi ſpeciem ad ſingula elementa aditus aperiendus eſt; ibique imprudenti puero digitus ad literarum frontem, calcem, dorſum, latera, vertebras, compages, iuncturas, ac nodos intendendus. hàc angulus turbinatur: illàc faſtigiantur mucrones, & cuſpides: exur-

gunt eminentiæ: recedunt hiatus: lacunæ aperiuntur: torquentur orbes, ac circuli: extant leuiter apices: excurrunt crura: flectuntur ſinus: conſtipantur, & obſtruuntur anguſtiæ: pateſcunt intercapedines, & interualla. literarum hæc æquabili tractu, ſimilique ductu deriuatur; illa erratico fluxu ducitur, & anfractibus concidi videtur: quà chelas admoueri cernimus, extendi, exporrigi brachia: quà recedere lacertos, articulos, & internodia aufugere, reuocari. pleræque dentibus, atque acutiſſimis vnguiculis adhærent ad ſocias: pleræque pediculis ſuis à proximis diſcedunt. quà conos acuunt: quà camerantur in fornices: quà ponticulos, quà teſtudines imitantur. nunc deprauant, ac diuaricāt tibias, nunc prauas, diſtortaſque æquabili ductu dirigunt; tenues aliç, gracilioreſque; craſſiores aliæ, ac toroſiores; denique aduncæ, rectæ, contortæ, orbiculares, compari, diſpari vultu, ſimili ſpecie, diuerſaque, lineamentis aut alijs, aut propemodum ijſdem.

Hic vero in tam multiplici literarum forma, vt generoſi puerorum animi gratiùs ad artem accedant, armis elementa quæque conformanda. ab aliqui-

bus

bus in abſoluto circulo parmas, vmbones,& ſcuta referri animaduertes; aliquæ in vlnam proiectæ pila, iacula, gladios exprimen; quaſdam in hemicyclũ flexas intentis arcubus, peltis, geſis,& cornibus ſimiles facies: nonnullas bene capitatas, cum arietibus, baliſtis, teſtudinibus compones: quædam multiplici pede inſerendæ, intexendæque ſunt; quò vallum implicato veluti ramorum nexu deſcribant: quædam vilioris notæ inuicem impoſitæ coaceruandæ ſunt, quibus aggeres erigantur.

Tamen ne tanta rerum multitudine infantes onerentur, potiore ſane conſilio, corporis inflexione quadam literas efformari præciperem: itaque porrectis, contractis, ſinuatis brachijs: nexis, diuaricatis cruribus; poplitum vel alterutro, vel vtroque, vel neutro flexo, intentoque: aut rectum, aut pectori affixum caput, dextrorſum, ſiniſtrorſum deiectum: corpus denique totum vel cubito incũbens, vel reſupinatum, vel pronum, aut certe ſtans, motibus, geſtibus quà ſedatis, conſtantibuſque, quà citatioribus, & volubili quadam catenatione membrorum, vt in Petroniana larua Trimalchionis lautitias admirati conuiuę ſunt,

Digitized by Google

aut in expoſitis mortalibus ſæpe videre
eſt,cum hic elumbis, aut debilis coxendice,
vel lacerto, hic conuulſis manuũ,
ac pedum articulis; hic eliſis cruribus,
talis,ac poplitibus tortis, ille inuiolatis
alis,ac pedibus,ſed eneruato femore, &
pectore, ſcapuliſque in deforme tuber
extantibus,luxatus, tremulus, mancus,
ſemiuiuus vel bacillo, vel tibicine innixus,
deformi lacertorum flexu,conuolutiſque
membrorum compagibus,literas
quaslibet ob oculos ponimus.

Sed adhuc faciliore methodo elemẽta
proponam, nec illa quidem geſtu,ſed
ipſis vultus lineamentis expreſſa.Intuere
igitur oris humani ſpecioſiſſimum
theatrum;hic linguę ſpatium in mucronem
paulatim coactum A.tibi,atque V.
exprimet. in ſuperciliorum iugo cum
affixis luminibus contemplaberis B.in
aurium ſemicirculo C.G, atque E. conſpicienda
ſunt.mentũ iugulo imminens,
iugulique protuberans nodus F efformabit.
Naſus ſibi ſemper ſimilis,atque à
fronte æquabiliter fluens L, atque I
proponet. idem ſi ſupercilijs affixus T,
ſi cum oculorum alterutro proponetur
qua D,& Q,qua P commonſtrabit, O in
aurium, oculorum, atque hiantis oris
fle-

flexibus deſcriptum intuemur. Z, atque S in tortuoſiſſimo aurium aditu, ac veſtibulo torquetur, ac ſerpit. At vero quo noſtra excidit H, ad quam omnis oratio pertinet, A A? ſed hanc etiam videre eſt ampliore ductu, ac potiſſima oris parte deſcriptam. ſtatuo igitur aſpirationem in barba pubeſcere, atque à natura inter menti ſetas omnino ſitam. etenim duplex pilorum ſemita ex vtraque mala deſcendens, ac pubeſcens labijs interiectis vtrinque diuiſa, in huius literæ ſpeciem fluere mihi videtur. illam ergo ſyluoſo mento concludimus, nec aſpirationem alibi verſari permittimus, niſi in iuuentæ flore, vt ibi ſpiritus potiſſimum verſaretur, vbi flores intuemur, qui afflari fauonijs ſolent. ſcilicet vt pili cognomines pilas æmularentur, quæ ſpiritu tantum, ac flatibus intumeſcunt. Quæ quidem cum ita ſint, ò quam in Ebuſi barbam Maronianus Chorinæus ſpiritum noſtrum optaſſet, cum ſenticoſum illud mentum ambuſto torre corriperet, vt præclarè illo carmine expreſſerat.

Obuius ambuſtum torrē Chorinæus ab ara.
Corripit, & venienti Ebuſo, plagāq; ferēti
Occupat os flāmis; illi ingēs barba reluxit;

Ni-

Nidoremque ambuſta dedit.

Vel certè cum candente carbone capillorum, ac barbæ luxuriem depaſcere Dionyſius conſueuerat; par erat, inquã, hunc illùc ſpiritum euocare, quo flammæ concitarentur. Ventos ab Aeolo villoſo vtre concludi ſolitos legimus, nunc ſpiritus villis ipſis aſtringitur; ac ſagarum ſuperſtitionem imitari videmur, quæ pilorum nexu ventos aut ſoluunt, aut obligant ex voluntate. quod quidem ſi veritati conſonum eſt AA. in hac barbæ aſpiratione; cum incaneſcũt pili, niualis, ac pruinoſus Boreas fureret; cum nigreſcunt, Eurus exurgeret, nigerrimo nimbo concitatus; in flaua, ac florente barba Zephyrus; in ardente, ac rubra Auſtri ardores indicarentur. Sed in hanc rem, ſi adlubet ſeculi pœne ſuperioris narrationem attendite.

Franciſcum Phidelphum Tolenti apud Picenos equeſtri ordine natumnè, an inter equites adoptatum, ignoro; hoc tamen ordine illum inter omnes maxime dignum putauerim, quòd inter omnes equitauerit maximè; nam Europam pænè vniuerſam curioſiſſimè peragrauit. Athenas igitur adijt, atque in doctiſſimi oppidi buſto extinctam ſapiẽ-

tiam

tiam lacrymatus eſt. Iliſſus non tam ſolutis niuibus, quam calido fletu auctior properabat. cæterum ex Athenis noctuæ vnæ ſupereſſe videbantur, quæ ferali carmine exeſis à parietinis miſerrimæ vrbis caſum pronunciarant antea, nunc deplorabant. Hinc Phidelphus ad Parnaſſum, atque Heliconis fontem in Bæotiam, tam in Theſſaliam ad Pindū, Olympum, atque Pæneum vel contendit, vel certè contendere viſus eſt; neſcio enim quo fato loca hæc noctu potius, quam interdiu contuemur; ac tum maximè cernere conſueuimus, cum oculi ſomno maxime comprimuntur. cum tamen Phœbum, diei vectorem ſcilicet, principem venerentur. Sed Parnaſſus duplex caput ſortitus eſt, vt magis obdormiat, atque vt plura ſomniaret, non vno vertice contentus videtur. E Parnaſſo ad Hebrum, ac Strimonem Biſtoniæ feritatis in Orphei cæde teſtes penetrauit, Athum, ac Rhodopem eiuſdē cythara ſpoliatos admiratus eſt; tum Helleſponto, Propontide, ac Phoſphoro traiecto, nouam Romam Conſtantinopolim tenuit; vnde Emanuelis Chryſoloræ filia in matrimonium ducta, Paleologi Imperatoris preces ad Italos

Prin-

Principes retulit: ac benigniſſimè habitus ab Alfonſo Neapolitano, ab Eugenio Antiſtite Maximo, ac Franciſco Sfortia, tandem in patriæ ſinum ceſſit; vbi ſuſcepti laboris fructum vel legere voluit, vel deponere. Sed qui Græciam omnem incolumis euaſerat, Tolenti in patria à Græculo laceſſitus eſt. certamē de ſyllaba fuit, victoris præmium laus primò, tum (quis crederet?) deuicti barba. conſeruntur vtrinque fortiſſimę manus, ac tandem Phidelphus magno numinis beneficio victor pronunciatur. acuuntur ergò ad prædam cultri; expediuntur nouaculæ, atque infelix Græculus barba ſpoliatur, quò pilorum veluti vinculis lauream victori necteret. ſeruitutem deuictus ſubiuit ſuam, non capite, ſed mento deraſo; & quòd de flocculo, vt ita dicam, ac pilo certaſſet, pilis etiam mulctatus eſt. O ingenium neglecta, impexaque barba neglectius! ò hominem hoſtis doctrina primò, tum barba etiam implicatum atque irretitū ſua! ò quam doluit infelix pilos ſuos flocci, ac pili factos: & quæ tot annis adoleuerat barba, hanc momento cecidiſſe. meminerat Aegyptios tunc abradi ſolitos, cum Apim, bouem ſcilicèt

ſuum

ſuum amiſiſſent, cum tamen ipſe reperta, aditaque Italia abraderetur, quam à bubus appellatam ferunt. tum in dropacem, pſilotrum, nouaculas, tonſores, tonſtrinas diras iacere, quod in pilos armarentur; hircis inuidere, quod illorum barbæ homines non inuiderent, atque os ad iaciēda maledicta expeditius fuit, quòd barba non grauaretur. tum oculi, quò iacturam repararent, genas, ac malas imbre rigarunt ſuo, vt citiùs ſeges amiſſa pubeſceret; ac pro pilis pilas omnino ſuas exonerauerunt. ac tandem, cum poetarum ingenium ad rerum apotheoſim maximè pronum ſit, hoc carmine barbam ſuam inter ſidera aſcribi voluit.

Barba, dolor vatis, ſuperis quin adderis aſtris,
Quà nitet Oleniæ fulgida barba capræ.
Pegaſe Niliacos quondam furate capillos,
Qui Berenicæum figis in axe decus,
Setas tolle meas, & ſedibus ingere ſummis
Cognatiſque pilos crinibus adde meos.
Vatibus hoc debes magè, Pegaſe; ſidera barbæ
Iam pateant, duce te, ſi patuere comis.
Sed vereor diris ne par flagret illa cometis
Summaque funeſto terreat aſtra pilo.

Vt-

Vtque minax capiti ſurgit crinita capillis,
Triſtia ne iugulo funera barba ferat.

Franciſcus vero Phidelphus auctus tam nobili triumpho iactare per ludum ſolitus eſt, ſe non in Capitolio, ſed in Barbitolio triumphare. cumque in ludicra victoria vna illi deberetur Ouatio, triumphus tamen conceſſus eſt; quòd in ouatione oues adhiberentur; cũ potius hic barbatus hircus foret adhibendus. cæterum adhibita amicorum multitudine, conſultare cœpit, quid eſſet de barba faciendum. Nonnulli Simpuli gygantis exemplo texendam eſſe affirmabant, cilicinoque illo ſagulo in argumentum victoriæ Phidelphum induendum. Nonnulli Iuliani autoritate in Miſopogone, plagas, & caſſes ex illa implicãdas, ac ſylueſcens mentum non niſi in ſyluas ablegandum; aiebant alij inſerendis, fabricãdiſque codicibus, vel potius centonibus aptam dicebant, e Maronis ſententia, qui de hircorum barba ita pronunciauit,

Nec minus interea barbas incanaq; mẽta
Cinyphij tondent hirci, ſetaſq; comantes
Vſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.

Tamen illam fortaſſe nautis minus

ap-

appoſitam eſſe, quod hodie id genus hominum abradi omnino ſolitum ſit. Alij tradendam Vulcano potius, atque ignibus inijciendam putabant, quod flāma etiam in barbæ ſpeciem attolleretur, & comata appellari conſueuiſſet. Plerique, vt humaniùs agerent, abraſā barbam humandam eſſe pronunciarūt, ac pro vrna teſtaceo polubro condendā eſſe, non defuere, qui epitaphium etiam ſcriberent, quod nouaculæ cuſpide incidendum erat; illud autem erat huiuſmodi.

Græculus in ſyllabæ certamine
Conuictus inſcitiæ
Barbam hic depoſuit ſapientiæ argumentū
Vt ſcilicet depilis
Qui pueriliter errauerat,
Imberbes pueros imitaretur.
Caluam alij fortunam queruntur,
Ipſe ſortitus imberbem eſt.
Hoſpes interea barbæ cineribus
Lacrymas redde tuas,
Fortaſſe imber iſte cineribus mixtus
Ad tergendos pilos lixiuium faciet.

Verum tandem in hanc ſententiam, capita omnia pedibus iuere, pilos Apollini ſacrandos; additumque carmen muneri eſt:

Quò

Quò foret imberbi vates tibi Cynthie com.
par,
Hæc tibi barbarũ vellera cultra ſacrãt.
Exutus ſic ille genas, ſetaſque labelli
Apponet melius fontibus ora tuis.

Caſus autem poeticæ, vel potius grammaticæ barbæ, poetarum ingenia non pauca, Mirtei præcipue excitauit, qui vt expilati Græculi mærorem aliquo ſaltem argumento leuaret, illum hoc carmine quaſi muſis, & Apollini gratiorem compellauit.

Parnaßus geminũ ad ſuperas caput erigit
auras,
Barba tamen geminum non notat vlla
caput.
Pone pilos, h rſuta tuis rape vellera malis
Maior eris vates, quò tibi barba minor.
Non ſcandit Phœbi montẽ niſi depile mẽtũ,
Pes leuis ad collem eſt, ſi gena leuis erit
Affixa eſt Pindi pedibus tonſtrina ſ canora
Non niſi tonſoris cuſpide vena patet.

At vero quid in barba tam multus ſum? quid tandiu pilis iſtis quaſi vinculis, ac funibus implicor? ſed tam longa, & promiſſa barba, promiſſam etiam, ac longam orationem expoſtulauit, vt ſermo par foret pilis. Non tamen hoc barbæ tantummodo datum eſt, ſed me-

lon-

longiùs trahi paſſus ſum, vt grammaticorum impietatem magis exponerem. Propoſueram modo noſtram aſpirationem in barbæ ſemita à natura conſtitutam , qua propter in hoc barbæ caſu aſpirationis ruinam intueri mihi viſus ſum; & literatorum barbariem, qui illam à vultu , quaſi à literarum theatro delere, atque abradere non dubitarunt.

Sed heus vos , deſcendamus in arenã. Statuo H, licet grammaticorum turba reclamitet, inter principes literas numerandum. ridetis fortaſſe tam inſolenti pronunciato; ſed hoc ego primò cæterarum exemplo nationum cõprobabo , adeamus ergo, ſi adlubet, aliarum alia elementa linguarum, ac principio celeberrimas Hebræorum notas, inter quos non ſemel, ſed iterum, ac tertio numerũ auget elementorum. Quid Græci ? quorum hic autoritatem maximi duco, cum illorum ſpiritibus Grammatici ineptias ſuas omnino confirment. Græci, imo inter Græcos elegantiſſimi Attici, aſpirationem tandiu exulem reuocauerunt , atque inter literas adoptarunt . quibus ego, vt noſtra de litera benemeritis, gratias hodie pro ſuggeſto redderem , niſi potius eſſent præteritæ crudelitatis in-

 cu-

cuſandi.Horum teſtimonio Grammaticorum opinionem labefactatam omnino crediderim,illam tamen firmiori ratione fortius euertam, Elementorum igitur quæ ore,quæ dentibus,quæ palato, quæ gutture efferri conſueuerunt; reductis enim alia, alia diductis labellis, hianti,vel preſſo ore, linguaque, quà immobili,quà contremente, quà in gyrum ſinuata,quà leuitèr patente finguntur.lingua nunquam ſibi ſimilis pœne Protheus,ac Vertunnus in exprimendis elementis eſt. Admouetur labijs, dentes verberat,adhæret palato,ore vel in medio conſiſtit,vel ſubſidet in imo, ac minutiſſimis vertebris coagmentata, nullà non ſui parte plicatilis, dicto citiùs ad literarum officia protenditur, contrahitur,ſubrigitur,huc illuc flectitur, in nodum conſtringitur,rugatur, explicaturque.Sed hi motus, hæ conuerſiones quantula portio,quota pars literarum ſunt? certe minima;etenim,ſi ſpiritu deſtituantur literę omnes tacitę, elingues, mutæ, nullæ ſunt. flatu illo quaſi pulſo claſſico literarum exercitus euocatus progreditur, ac ſingillatim elementa procedunt;ex illo ſpiritu animantur notæ,ac vitam hauriunt,cum animantium

mo-

modo viuere nequeant,niſi reſpirent.atqui H noſtrum non niſi aſpiratio eſt; igitur non modo elementum, ſed princeps elementum vocandum eſt; cum id illud ſit,quo deſtitutum elementum vllum conſtare neutiquam poſſit. At quid literę? voces omnes,ac fremitus vna aſpiratione conflantur: igitur qui aſpirationem à literis expellemus,cum ab illa non dicam literæ,ſed ſyllabæ, ac verba omnia manent, ac fluant? ſed vobis carmen recitabo, quo ſpiritum vnum ſonare,vocem omnem Aeolo, ventiſque deberi voluit poeta.

Auræ,vocales auræ, ventique loquaces,
Flabra,vel Aonijs flabra priora modis:
Veſtra mihi facili cum ſibilat ira ſuſurro,
Latoo potior viſus es, Eure, meo.
Aſt oricalca cies idem,ſi flamine Martem,
Æole,cum ſpirant fortiùs æra, vocas.
Nec prius arma ſonant, niſi buccina perſonet;aura
Ni tonet,emiſſo non tonat ære manus.
Quid caras ſtipulæ memorem, quid arundinis auras?
Dulciaque argutis flamina mixta notis?
Tibia ſpiritibus reſonat,buxuſque canores
Integrat,& litui funditur ore melos.
Docta fremit vẽto dulcis feſtuca magiſtro,

Te duce,ſeu muta eſt,Æole,ſiue loquax.
Cum ſeptemgemino Pan conterit ordine labra,
Fiſtula,ni ſpirent flabra canora,ſilet.
Æolus incluſis de ductibus ora reſoluit,
Spirat arundo magis, cum gemit illa magis.
Flumina ſi cycno reſonent, & acantide ſentes,
Aut oneret queſtu Threſſa puella nemus:
Alitũ voces,& ouantes carmine linguas,
Natiuaque auium guttura docta lyra
Vna cient mihi flabra, vnis mihi debita flabris
Eſt auis,aerium non niſi vulgus auis.
Cantibus aſtriferum cum perſonat Æthera Siren,
Concitat æthereas forſitã aura plagas:
Quæque ſuperfuſos cæli regionibus ignes
Aura agit,& ſuperas vẽtilat aura faces;
Hæc eadem dulci permulcet flamine Diuos;
Vna modis aures ætheris aura tenet.

Digitized by Google

DE IMITATIONE PRÆFATIO.

Hoc ſit primum in præceptis meis, vt demonſtremus, quem imiteris.

Cic. de Orato. lib. 2.

RHetoricæ, vt Ciceroni paream, imitatione præcurram, ratus oratoriam faciliùs exemplo tradi, quam legibus, ac dicendi artem eodẽ pacto, quò verba didicimus, ediſcendam. quis infantes educere è pulmonibus ſpiritum, torquere linguam, contrahere, vel diducere labra in ſermonem edocuit? cum ergo ad loquendum illi ipſa nutricum imitatione ducantur, eloquentiam potiſſimũ imitatione tradendam, animaduerti. ſed vereor, ne mihi venia opus ſit AA. vereor, inquam, ne ſegetem potius vitiorũ

imitatione,quam dicendi flores adornẽ. Etenim eo ſeculo premimur, ea in tempora oratio incidit noſtra, quæ plus æquo imitationem in vitia detorſerunt. Iam explendæ auaritiæ Indicæ venæ non pares ſunt,ſed,vt aurum imitentur, inſaniunt Chryſopœi; laborant aſſidue foculi;exudant ſuccenſi camini; & fatalis ille Mercurius, rapaciſſimus alioqui, hic (ò inſaniam!) aurum expromere perhibetur. Iam vero ficta corallia,mẽtiti lapilli, margaritarum ſpecies adulterina, ab vna imitatione ducta pernicies.hinc inſtrumenta luxuriæ mortales elaborarunt. atque vt vermiculatas in effigies animalium, atque hominum, cruſtas,compactaſque teſſerulas,priſcorum deliramenta præteream; etiam nũ Phrygiones aſpectum vna imitatione deludunt,dum qua florum ſegetem,qua nemorum receſſus æmulantur; hàc ferarum lapſus, illàc ad prædam intentos venatorum exercitus exprimunt;vt domus vna ſyluis veſtiatur, ac liceat vel in vrbe ruſticari.Quid? quod vitia omnia, vt Plutarchus habet,ac Seneca, aliqua virtutum ſpecie conteguntur,quò minime declinari poſſint; quò hauriatur auro venenum; quò inter flores premantur

tur viperæ;cum malum, bonum vbi ſe ſimulat,tunc ſit peſſimum.

At quid hæc,ſi labes illa mortalium, adulatio, inquam,in medium proferatur? quæ noſtra ætate ita omnium animos occupauit,vt viuere neſciat,qui neſcit adulari.illa ex vna imitatione deducta eſt. dum ita in aliorum mores conformantur, vt iure, Chamæleontibus, Polypis, Protheis, ac Vertunnis pares Plutarchus adulatores opinetur. quapropter illos inſtructos à Tibullo crediderim. *(paretur,*

Ne comes ire neges, quamuis via longa
Et canis arenti torreat arua ſiti.
Vel ſi cæruleas puppi volet ire per vndas,
Ipſe leuem remo per freta pelle ratem.
Nec, velit inſidijs altas ſi claudere valles,
Dum placeas,humeris retia ferre neges.

clarius Naſo.

Arguit,arguito: quidquid probat ille,probato:
Quod dicit,dicas:quod negat ille,neges:
Riſerit,arride;ſi flerit,flere memento:
Imponat leges vultibus ille tuis.

Intende aciem in Platonis familiares;illi contractum eius humerum expreſſerunt. Ariſtotelis auditores paulatim in illius balbutiem tracti ſunt. Alexandri

milites ab eodem ceruicem inflexam, & vocis aſperitatem hauſiſſe perhibentur. vt Cambiſæ caluam exprimerent Perſę, omnes ad cutem abraſi ſunt. quo Princeps, eo fertur Regia: vnde reflectitur, inde cedit. aliena affectare, ſentire, loqui, Principis oculum, vocem, inceſſum reddere, ſtatum, geſtus, nutus, ingenium æmulari, aulæ primæ leges, & elementa. En Dionyſio Syracuſis philoſophãte, ipſi parietes in adulationem proni. iã puluere referta conclauia, omnes omnium oculi in ſolum defixi, ſingulorum manibus elati radij, hic duci linea, illic angulus turbinari, flecti orbes, ac circuli, Syracuſæ non vnum Archimedem oſtentare. eodem à philoſophia diſcedẽte, ludere omnes, nulla literarum veſtigia; inſano Principe, ſinguli inſanire; eodem cæcutiente, adulatorum alius in alium offendere, prudentes ruere, fercula temere ſuper cœnam deuoluere, videntes denique cæcutire. Igitur in aula vel Princeps, vel Principis æmulatio. aulicus non eſt, niſi non ſe ſonet, ſed alium; ſpiret alium; alij viuat; quod ſtudet ille, ſtudeat; quod abnuit, abnuat; atque vt voluntatem aucupetur alienam, voluntatem induat alienam.

Ita imitatione mortales abuſi ſunt, quibus quidem ne mos gereretur, ſtatueram eò longiùs ab imitatione recedere, quo propiùs imitatio ad vitia detorquetur. Sed noui AA. hominum cõmune flagitium hoc, ex optimis quibuſque pernicioſiſſima haurire. audi Ouidium.

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.
Igne quid vtilius? ſi quis tamẽ vrere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdũ, modò dat medicina ſalutẽ;
Quæque iuuet, monſtrat, quæque ſit herba nocens.

Quapropter imitationem aggredior nõ tam vitio territus, quam virtuti famulaturus, ad quam vna imitatione munitur via.

Quintilianus igitur primo nullam Rhetoricen putat imitationis immunẽ. ad maiorum exempla conformanda eloquentia eſt, atque à perenni maiorũ fonte ducendi riuuli, quibus effluere diſcat oratio. ita parentes exprimunt volucres alas explicaturæ. è genitricis acie in ſolem firmare lumen aquilini fœtus ediſcunt; à matribus (ſi Plinius audiẽdus) muſica imbuuntur arte luſciniæ; atque ad prædam non niſi leænæ matris audacia

dacia accenditur catulus. Quam multa ab Ennio Virgilius mutuatus, à Cicerone ipſo quam multa? quot expreſſit ab Homero, quot à Theocrito? nullus eſſet profectò Tullius, niſi ab Afro mancipio linguę candorem, à Demòſthene facundiam extorſiſſet. ipſe vero Demoſthenes quo Thucididem ſtudio, quo Andronicum Hypocritam expreſſit? Sileo Periclem, Thucididem, Alcibiadem in vnius exempla tractos. Sileo Critiam, Theramenem, Lyſiam Pericli conformatos. Philiſtum, Ephorum, Theopõpum, Dinarchum, Lycurgum, Aeſchinẽ ne digitum quidem ab Iſocrate recedẽtes. igitur nulli futuri Rhetores, ni eloquentiſſima veſtigia conſectati.

At vero ne ſeueriſſimam legem vnis oratoribus præſcribere videamur, attẽdite ſingula diſciplinarum ſtudia in imitatione laborantia. In Grammaticis ex vnius imitatione ductus literas omnes exprimi animaduerti. in muſicis iiſdem numeris, moduliſque, vel acutæ, vel graues, vel mediæ voces, ne inconcentæ ſint, temperantur. Animaduertunt Aſtrologi Solem exprimi à ſiderum quolibet, atque aſtra corporis obiectu, quaſi ſpeculo quodam ſolarem radium,

ac ſui ſpeciem principis reddere. In mathematicis nil non imitatione cõflatur. Ars enim numeraria eadem proportione ſuas numerorum omnium acies explicat, Geometria lineas ſuas; vitrei prę terea in ſimilitudinem ſiderum Archimedis orbes, eiuſdem volantes è ligno columbulę, fictile caput Alberti loquax, datæ pro Caroli V. conſpectu à ligneo exercitu pugnæ, quid in mathematicis niſi petita ab imitatione miracula? poeta eò gratior, quò vera magis imitatur, ac fingit; Sculptor, Pictor, Encauſtes, Faber, Plaſtes, Figulus, Fuſor, cum lapides, telas, ceram, ligna, gypſum, cretamue, aurum, æs, argentum animant, cũ ſpiritus operi propemodum indunt, vbi nam, niſi in imitatione, verſantur? dum ita naturàm prouocant, vt ſuaui mendacio vuà Parrhaſij volucrum famem ſolicitauerit; Promethei vulturis exemplo ad ficti iecinoris prædam vultures aduolarint; Apellis equo adhinniuerint equæ; Mironis buculam inter pecora numerare paſtor ſolitus ſit. Quid Hiſtoria? ex qua, vnã imitationem hauriri autores voluerunt. En vt Achillis exemplo exardeſcit Alexander; Herculis memoria Theſeus inflammatur; ad Mace-
donis

donis aſpectum in Gadibus illacrymat Iulius; æmulatione Miltiadis Themiſtocles vigilat; Pythagoræ, ac Platonis exemplo ambulat Apollonius. Miramur Aragonenſem Ramirum à Pontio eminentibus herbis bacillo deciſis in primates, ac proceres ſæuire monitum, hac ille re Tarquinium ſuperbum imitatus, papauera ante filij nuncium recidentem, ac Thraſibulum, qui eminentia ſpicarum capita decuſſit, vt Corinthiũ Periandrum inſtrueret. Quam mirabile Mutij facinus, cum dexteram ardentibus focis iniecit, Ageſilaùs tamen Athenienſis illi eiuſdem operis gloria præcucurrit, quorum vtriuſque gloriã, ambuſto dexteræ articulo, Pompeius Romanus miles proſecutus eſt. Quanta Greci Cynegiri ferocia, cum dextera, læuaque deciſa, hoſtilem dentibus claſſem apprehendit, ſed hunc Iulij miles Attilius æmulatus eſt. Cum morientis Codri pietatem ſuſpicis, nonne in Deciorum vim, atque animum reuocaris, cum pro patria ſalute ſe deuouerunt? Aeneam imitatus ſenator Oppius, cum, vt Triumuirorum impetus declinaret, ceruicem parenti ſuppoſuit. idem luſit fortuna, cum hac Lycaſto, ac Parrhaſio, illac

illac Romulo, Remoque lupæ mammas admouit. idem Romani patres facinus iniuerunt, cum principem in fruſta diſciſſum togis extulerunt è curia, atque Orchomeni diſſecto Piſiſtrato, Phalaridem æmulatus Aemilius, cum autoris Aruntij Paterculi corpus æneo equo concluſit, quod ille Perillum æneo tauro combuſſiſſet. Quam multi pro tabellarijs abuſi volucribus, Martem imitati, qui cornicem identidem miſerat, ſic vſus columba Brutus, hirundine Cœcina; quod noſtro itidem ſeculo Belgicus miles aggreſſus eſt, vt elegantiſſime Famianus. Cum Boemę fæminæ Valaſcæ ductu in homines ſæuierunt, Amazonũ facinus referre conatæ ſunt. Cum in hiatum Curtius immiſſus eſt, Midę genitum Ancurum expreſſit. Cum Sex. Tarquinius flagris cæſus, ac verberatus, Gabios penetrauit, Piſiſtratum, ac Zopyrum imitatus. Cum Athenienſis mulier linguam dente diſſecuit, ne proderet cõiuratos, præclarum Anaſſarchi facinus retulit, in cuius ſimilitudinem gloriæ Ioannes Benetus etiam vocandus eſſet, idem auſus in Azzolinum.

Ea imitationis exempla fortaſſe adoleſcentium animos ad imitandum accę-

de-

derent, ſed libet altiùs ducere orationē, atque in ipſis naturæ fontibus illius veſtigia perſcrutari. Statuo igitur, nihil omnino naturam architectatam, niſi vt aliquid imitaretur, ac fingeret.

Primo igitur in ſuperos orbes, atque in æterna lumina lumen intende, quæ illic niſi ferarum, hominum, volucrum, piſcium, lactis, ſerpentium ſimilitudo? Aer vero aut parelijs Phœbum æmulatur, aut Iride cum rorantium orbiculos nubium, quaſi crebra ſpecula, ſideri opponit, vt lucidiſſimi vultus effigiem referat. aer idem crinitis, pogonijs, acontijs, xiphijs, cerantijs, hippeis, comarū, barbarum, iaculorum, cornuum, gladiorum, equorum denique, ac tibiarum ſpeciem refert. At vero poſt aerem, aquā feraciſſimus imitationum campus. illa inſtar ſpeculi quidquid obijcitur reddit, atque ad cæli conſpectum aſſidue patens ab illo ſerenitatem, caliginem, ruborem, viriditatem bibit, atque in illius effigiem vultus omnino compoſita, ſideribus adulatur. Iam vero ſuis in gregibus, & ſuis in accolis imitationibus deditiſſima. Viden, vt ad cogendū exercitum piſces exponat, primo Murices, & Cōchas ad ciendum Martem in buc-

cinas,

cinas, tum Plinij Cornutas, ſeu Cataphractos, Xiphias in gladij ſpeciem; Sphyrænas, & Acus, ſudibus ſimiles, & paxillis: Ceſtreos, à ceſtro teli perſici cognomento: Scolopaces, ſiue Elephãtos, aut Sagittarios Aeliano: Teſtudines loricatas: Teſtas clypeis, parmis, peltis, ancilibus pares: Galeos, galeæ proximos, quibus inſeri poſſet in criſtas explicata marina penna. ad legiones etiam cognominãdas Alaudis, & Galeritis hac illac diſſeminatis. Quot eadem imitandi cupidiſſima animalium figuras expreſſit? Boope, Salpa, Bugloſſo, Phocis, ſiue Vitulis, Taurum: Labrace, Lupos: Onagros, Molua: Hippopotamis, atque Hippocampis, equorum caput, ac iubas: Vrſis, Apris, ac Leonibus, terreſtres feras: Cynogloſſo, & Canicula, Canes: Sues, Delphinibus; vt Arietes, Elephantos, Pantheras, Pardales, Hiænas (ſi tamen Oppiano, Plinio, Aeliano credimus) Tiberio Principe viſas prætercam. Multæ ibidem ſerpentium facies, Murænæ, Scorpij, Scorpænæque, Dracunculi, Ophidij, Tencę, Miri, Scolopendræ. Volantium acies nuſquã crebriores; multa Turdorum genera, Merulæ, Coccyges, Milui, Coraces, Paſſe-

res,

res, Hippuri, Fabrique, vel Marini Galli, Grues, Aquilæ, ſiue Lamiæ. Iam vero quot ad exprimendos homines piſces eduxit? Nereides, ac Sirenas nuper ad Indos, olim Mediterraneo familiares, Monachos piſces ad Scandinauiam, Epiſcopos ibidem Polono Principi traditos; tum Conchas auribus; oculis, Ophtalmias, aut Oculatas: cordi, Cancros: Labeones, labello conſimiles. Noſtris quin etiam ſtudijs officioſa, in Sæpia, atramentum; in Lolligine cultrũ calamumque concluſit. Muſicis Lyram dedit, Citharamque, vnum e piſcibus ſoluta lingua: Mathematicis Zygœnã, ſiue Libellam: Aſtronomis Cœli ſpectatorem Vranoſcopum comparauit, imo cœlum vniuerſum oſtendit infinita ſtellarum multitudine, leuibus, pectinatis, arboreſcentibus, reticulatis, echinatis, cancellatiſque. Inter quas Solem ipſum inſeruit, Lunamque tum in Delphinorum dorſo, tum in Orthragoſci cauda, creſcentem, vniuerſo eiuſdem corpore omnino plenam. Hic imitationum apparatus, & rerum exempla, quæ natura fingendi auidiſſima inter aquas expreſſit.

Agite iam quoniã amœniſſima Veris tem-

tempeſtate permulcemur, naturæ ludentis imagines, quas ſuarum inter opũ folia Chloris expreſſit, ſi adlubet, perſcrutemur: vt omnia imitationum feraciſſima animaduertatis. Multas è piſcibus, multas etiam armorum ſpecies edu. xit è floribus, herbiſque natura; Roſa, Carduus, Paliurus, Aſparagus, Tribulus, Vrtica, Phleos, Eryngion, Rubus, Hippophaes telis armantur. Adijce his Cypiros, ſiue Gladiolos, Piſtanam, ſiue Sagittam maiorẽ, minoremue, Xiphiũ, Spartum, Geniſtas, Intubum, lina in vincula ad implicanda captiuorum mẽbra contorta. Quot inter herbas etiam ſerpentium facies, ac ferarum? Dracunculi, Ophioglaſſi, Crocodilia, Dipſaci, Scorpionides, Aconiti radices, Tricoccum, Tragus, aut Scorpius. Tum dens Leonis, Centaurium, Aures vrſi, Sannicula, Onagra, Cynogloſſum, Hippogloſſum, Bugloſſum, Buphthalmum, è bubus, equis, & canibus. Spectabis præterea in pulcherrimo flore Ranunculos: Lepores, in Lagopode: in Tuſſilagine; equinas vngulas: in Delphinio, piſcem: in Chamæleonte, vel Ixia colore qua nigro, qua viridi, hic cyaneo, alibi croceo Chamæleontem: Canes, in Canis

rubo: tum Aquilas in Aquilina: Hirundines, in Chelidonio: Gallinas in Anagallide; in Phœnice, ac Perdicio eodem nomine volucres. Ignis vero ſpecies nuſquam dignior, ac frequentior, quam in herbis, ac floribus; ille in Flammula, ac Pyra herbarum ſpecioſiſſimis accenditur, ſed in Nyctigreto illuſtriſſimus, quem miratur Democritus flammeo colore vel noctibus prælucere. Sileantur lilia Iridi paria; Panaces, atque Heliotropium Soli; Aſteres, ac Stellariæ, Sideribus: Chryſocome, Cometis: Herba Imperatoria, Aſpodelus, aut Albucus, ſiue Haſtula Regia, Aurea Virga, vel Sideritis, quibus ſceptra Principum exprimuntur. Sed quæ in herbis, ac plãtis adulatio ſapientiæ? papyros ex arbore legimus; codices arbore complicamus, libros e corticum libro deglubimus; folijs in chartas abuſa Sybilla; prætereo Siluarum oracula, Dodonæi nemoris eloquentiam, literas in hyacinthi venis expreſſas. quid? ipſe philoſophantium aſpectus, ac barba in Alopecuro, Caſſuta, Equiſeto, Tragopagone, Arũ, ſiue Aaronis barba, in omnium denique radice deſcribitur. Attendite iam naturæ diuitias, vt hominem fingeret. quam belle

belle coronatũ caput Papauere expreſſit! vt fluunt capilli in Cydoniorum lanugine, Arborum muſco, Paluſtribus herbis, Thapſia, Adianto, Trichomanus folijs! vt acuuntur aures in Aſari frondibus, in muris auricula! vt ardet oculi pupula in Aconiti granis, Euphraſiæ flore, Caltha, Anemone, Potẽtilla! Naſum in aquatico Mentaſtro miraberis: dentes in mali punici granis, nucleis pineis, herba Dentaria. quam bellè cor in Citrio malo, Myrobalano, Apij radice, Cydonio malo deſcribitur! Sed nil crebrius expreſſit natura, nil pulcriùs, quam dolores, & lacrymas; quò doceremur, pulcritudinem dolorũ tantummodo feraciſſimam. quis cruciatuum pompam non demiretur in Granadillo? tum lacryma lilium paſcitur ſua; Helenæ lacrymis exortum Heleniũ eſt, plorat Helxine, atque Acanthicen Maſtichen ſuam dulciſſime profundit. quid referam Myrrhæ acerbiſſimam guttam? Bolchon, Modelcon, aut Bdellium, lacrymæ ſunt, Aethiopicæ oliuæ, Balſama, Xylobalſama lacrymis manãt. Galbanum, Ammoniacum, Sarcocolla, Glaucium lacrymas æmulantur. Vitiũ gemmæ quin etiam lacrymæ, pretioſo

nomine dolores diſſimulante Natura : eædem ex Abiete, Terebintho, Cupreſſo, Picea Silueſtri, Montana, Maritima Larice, Pino, ac Pineis nucibus fluunt. Gummi præterea nil, niſi lacryma; ſuccinum Heliadum fletus, addito in doloris lenimentum lacrymis pretio. Thus afferam ad extremum, vulneratæ ploratum arbuſculæ, quod adolemus, quo ſupplicamus, quod vrimus, quo Diui gaudent, quo placantur; quos imitaturi Principes didicerunt nil optare, niſi lacrymas, nil extorquere à ſuis, niſi fletũ; hoc tamen clementiæ darem, niſi lacrymis ſatiati ſitirent ſanguinem. Hic imitationum apparatus è floribus, herbis, arboribus, vt à natura in imitationem accenderemur.

Quamuis quæ hæc imitatio? attendite quot ſpeculorum genera natura propoſuit, vt in imitationem abuteretur. illa è vitro, chryſtallo, ſpeculari lapide rerum imagines expreſſit. illa fontes, lacus, flumina, maria in ſpecula propoſuit illa metallis omnibus, auro, argento, chalybe præcipue intuẽtium aſpectum reddidit. in capillorum omnium gremio, ac pellucido illorum in ſinu aſpectantium vultus effinxit. liquores quos-

libet

libet natiuo imitandi deſiderio,licet colorum omnium varietate diſtinctos, ſi ab vno lacte diſceſſeris,intuentium ſpecies referunt.oculorum orbes, memoriam,phantaſiam,vel viſus, ingenium vnis imaginibus referendis natura elaborare voluit.

Adijce his,quandoquidem ita in imitatione iam merſi ſumus, adulatricem Pſittacorum facundiam, ſiluas, ſpelæa, cryptas,atque ædificia Echus miraculo vocem imitantia. Adijce vmbrarum adulationem corpori ſemper affixam, vt tum figura,tum motibus illud identidem referant. Adijce parentum imaginem filijs, nepotibuſque tranſmiſſam. Quid ego phyſiognomorum portenta prætereo? Adi Ariſtotelem,Platonemque,diſces à Philoſophorum eruditiſſimis in humani vultus theatro monſtra omnia ſubinde cõmitti.Quadrata frons, erectum ſupercilium, naſus reſimus,& craſſior,amplum os,labra tenuia, leonẽ præſeferunt.argutum caput, breuitas aurium, grandis oculus, patulæ nares, paruæ malæ equum oſtentant.ſingula percurrere pœnè infinitum. hoc certè conſtat è belluis omnibus particulas ad fingendum hominem à natura detra-

ctas, vt habet Horatius, vt imitari diſcemus; cum nil niſi imitationem vultibus, moribuſque præferamus.

Poſſem hic nationum ſimilitudinem receñſere, eũdem Aethiopum colorem, capillos, lumina, dentes, ac labra: aureã inter Gallos cæſariem, nigram inter Hiſpanos: magna Germanis corpora, Afris minutiora: Atticorum elegantiã tarditatem Bœotiorum; cultam in Oriente Politicen, in Occidente ſimplicitatem. Poſſem hic in tanta aſpectuum varietate indiſcretam ſubinde ſimilitudinem admirari: Artemonis, ac Regis Antiochi; Magni Pompei, Vibij, Publicijque; Africani Ducis, ac Serapionis; Piſcatoris Siculi, ac Siræ proconſulis, quos Plinius mirè ſuſpexit. Sed in tanta imitationum ſegete duplici narratione perorabo: alteram Tullius attulit, Ariſtoteles alteram.

Habet ille in Chiorum lapidicinis, diſſecto temere lapide, caput extitiſſe Paniſci; ſed quod Tullius oſtenti loco miratur, equidem Capuæ ſubinde contuitus; vbi non tam hominum effigies è lapide ſubinde prorumpunt, quam exercituum, ferarum, arborum, auium, herbarum, fluminum, paſtorum, armento-

rum-

rumque; cum tamen, vt vultus è ſaxo duceret, non ſculptores natura, ſed pictores imitaretur. nos conſueuimus ſæpe colores lapide temperare; hic lapidem potius natura colorauit, quaſi Deucalionis fabulam probatura, poſſe homines e marmore exiſtere.

Sed in imitationis exemplum Antipherōtis Oretani, vt Ariſtoteles habet, imago pœnè portento proxima. Ille oculis abuſus in penicillum, in aduerſo aere ita vultum imitabatur, vt luſcus Antipheron ſeſe aſſidue contueretur: ophthalmiæ non modico lenimento, vt cum omnium aſpectu oculus priuaretur, ſe vnum intueri poſſet, gratiſſimo præ cunctis ſpectaculo. Soli hac re pœnè par, cum craſſiorem ſpiritum quaſi nubeculam excitans oculis, in illa, veluti parelijs, exprimeretur. Potuit forſitā ille aduerſam imaginem geminum ſibi fratrem opinari, cuius in alterum vultus mutuò reciprocaretur. Ita ille quaſi duplici capite biceps Ianus videri poterat; niſi Ianus gemino vertice crederetur, quòd videret omnia: hic geminus eſſet, cum nihil videret. Cæterum Scipionis effato paruit, affirmantis, ſe nunquam minus ſolum, quam cum ſolus

eſſet; quippe vnus idem, ac multiplex, quaſi geminationis miraculum probaturus. O maximam oculorum fœcunditatem! mirabar intuitu à ſtruthiocamelis pullos excludi poſſe; hic tamen parem ſibi ſobolem lumina veluti genuerunt. In quo hoc præ cæteris maxime aſſecuta natura, vt imitationem ſuaderet.

Quæ de Imitatione traderem vobis, hæc habui, quam rerum omnium exemplo potius, quam oratione probatam volo, ratus nefas eſſe in imitatione alia potius re, quam imitatione peccare. rorare.
Dixi.

PRAE-

PRÆFATIO.

DE HISTORIA

HIſtoria mihi AA. de hiſtoria texenda eſt; hanc enim potiùs, quàm aut Eloquentiã, aut Poeſin elegi, ne illius oblitus viderer, qua vna ab omni obliuione reuocamur; & ne in vita memoriæ, vt inquit Cicero, immemores ſederemus. Florum igitur in medium profero, in modico opere maximi ingenij virum, & in minimo labore omnimodè elaboratum, cætera ſuo nomini parem, ſeducta fragilitate in illius arctiſſimo libello, ampliſſimum imperium legimus, nempe Romanum; ſed ſtylum fortaſſe maiorem; qui quidem vt maximè concluſus eſt, ita maximè patuit. mentem

nec celeriorem ſortiri poterat, nec amplioremillam quidem, dum infinita ſpatia momento percurrit: hanc, dum immenſam ſegetem vnico amplexu concludit. cum tamen nec in celerrimo orationis ductu properato ſtylo ſit: nec in breuiſſimo, mutilo, ac manco. qua propter in eo Mirmecidem Polycleto non cedere, atque ab Vlyſſe immenſam Polyphemi molem ſuperari dixerim, ac pœnè oraculi loco carmen Valerij ducerem in minimas Perſij Satyras, ac Marſi immenſa volumina,

Sæpiùs in libro memoratur Perſius vno,
Quàm leuis in tota Marſus Amazonide.

diſcite noſtro è Floro rem paruitate pēſare. eò precioſius quid, quò minus eſt: quò maius, eò vilius. gemmarum nobilitatem caritate pendimus, ac

Sardonychas, ſmaragdos, adamantas, hiaſpidas,

ſi montium inſtar excreſcerent, tanti faceremus, quanti ſilices, lapideſque. O magnum humanæ tenuitatis argumentum! Sed iterum ad Florum.

Patre Gallo editum hunc accepimus, ſummæ eloquentiæ viro, ſi modo Quintilianus audiendus, qui eo familiariſſimè vſus eſt. Ad Rhodanum, ac Sequanam

nos

ſlos noſter adoleuit,e quibus ad Tibrim tranſuectus eſt;atque in ſeptenos colles non niſi ab Alpium iugis properauit. Iam tum Gallo è regno excurrere didicit,ac raptim ſingula præterire,& è populo moræ impatiente rebus neutiquã immorari.

Sed Gallus hic meus ſua in hiſtoria infinitam Gallorum hiſtoriam mihi in memoriam reuocat,qui huius ſeculi fato ducti,nihil penſi ducunt,dum aliquid ſcribant. laborant bibliothecæ voluminibus oneratæ; nam dum ſtudent autores æternitati; ipſa æternitate longiores ſunt. iam omnium manu teritur vel Gallica,vel Gallorum hiſtoria;quapropter ætati noſtræ debeo, qua tranſalpinæ narrationes pœnè adorantur,dum in Gallum incidimus, de Gallico ſtylo iudicium. duos hoc ſeculum ſuſpicit Petrum Matteum,ac IoannemBarclaium: huius fabulam, illius hiſtoriam: hunc floridum, illum frugi : ſenibus illum proximum, quippe prudentiæ deditum, hunc iuuentuti in crebris amoribus : prior exſuccus,& ſtrictior,fuſus,ac plenior ſecundus: alterum denique Tacito parem,alterum Floro dixerim, potius Plinio, vtriſque fabulantibus. digniorẽ

præ-

præterea de illis ſenſum à Gallis Sacerdotibus latum in proximis comitijs ad Caledoniam habitis accipite.res fortaſſe altiùs repetenda,ac longius traijciendum,quippe in Britanniam.ſed candidũ iudicium vnde referam, niſi ex albis rupibus Albionis?

Nobile apud antiquitatem Druidarũ nomen.hi,ſi Iulio credimus, Britannica gens qua ex Inſula vel curioſitate, vel cupiditate ducti, Belgium,& Galliam inſederunt. vbi ad maximæ faſtigium dignitatis euecti,religionis nomine Regni pœnè potiti ſunt. pœnas irrogant, deferunt præmia, lites dirimunt, in facinora animaduertunt; cæterùm nihil in principatu deſiderant præter principis nomen.adeo vel ipſa ſpecies religionis deuincit animos, ac paulatim eò ducit populos, quò nec arma, nec metus traheret. apud indigenas maximo honori ſunt;illorum nomen numinum inſtar eſt:verba,oraculorum. quapropter ſtipantur aſſiduè infinita iuuentute in diſciplinam conueniente, vel autoritate, vel præmijs ducta, ſæpè etiam parentũ ambitione,natos naturæ quodam ductu ad honores vocantium. Horum hominum doctrina, quam in vulgus efferri ne-

nefas, minimè comperta. nihil æquè vitant, quam literas ſuas literis tradere. doctrinas quaſi Cereris myſteria ſilent; eam enim ſcientiam putant, quæ à multis neſciatur: vulgo nihil indoctius: vt in vulgus quid emanauerit, inſcitiæ ſpeciē præſeferre. ſapientiæ igitur ſilentio autoritatem conciliant, rati id vnum in admirationem vocari, quod ignoratur. caritate pretium, integumentis, ac latibulis opinionem augeri. pluris fieret Sol, ſi rariùs exſurgeret; ideoque illius lumen carius hieme, quòd breuius eſt, ingratum æſtate, quod diuturnius. In illa tamen rerum taciturnitate, facere non potuerunt, quin aliqua proderentur. viſco (quis crederet?) ſupplicant, illo non tam auibus, quàm mentibus implicatis, illique litant humanis hoſtijs, quas aut ſagittis conficiunt, aut ſecuri feriūt. ſæpè etiam viros fœni metis incluſos, ſubiectis facibus torrent; ridentibus fortaſſe volucribus viſcum non tam ſuis pedibus, quam hominū capiti exitiale. Accolæ in atrox fatum pœne ruunt; trucidari geſtiunt, eòque maiore animo prorumpunt, vbi animum exuturi ſunt; quippe non maiore metu dignam mortem, quam vitam putant: letum, interi-

tum,occaſum vana nomina: rogum,cineres, vrnas, ad vulgi captum fabellas adornatas;à quo lacrymis, conclamationibus, ſordido ſyrmate celebratur funus,quod nullum eſt, reuera mortem non minus deplorandam, quam natalē: animum in alterum corpus deduci: noua excipi domo,non mori, ſed tranſmigrare,plus victurum, quòd mortuus eſt. hæc omnia neſcio quo pacto noſtra ex Italia Galli, e Pythagoræ fontibus hauſerunt, vt Luciani fortaſſe commēta confirmarent, qui Pythagoram in Gallum gallinaceum tranſmigraſſe exiſtimauit.

Hæc igitur Sacerdotum multitudo cum annos bis mille, aut certè plus eo in Gallijs conſediſſent, mutare ſedes coacti, quòd Chriſtianiſſimi eius regni Principes omni labe purgare Gallias ſtatuiſſe dicerentur; quapropter accitis ex vniuerſo regno ſocijs, in Morinos cogitarunt; vbi tandem hac de re comitia Ponti, ſeu Terrouanæ in eius regionis nobiliſſimo oppido vt cum maximè celebrauerunt, atque illa omnibus ſedit ſententia antiquam patriam adeundam, in Britanniam velificandum eſſe; cum, id præcipuè temporis Henricus Octa-

uus

uus à Romano Antiſtite deſciſcens, omnes omnium religionum ſuperſtitiones vel admiſſurus erat, vel certè non reiecturus.

Ad Caletes igitur properauerunt, è quibus minimus ad Britanniam traiectus eſt; tradunt enim Geſſoriacum, ſiuè Iccium litus ab Inſula ad ſummum quinquagies mille paſſuum freto diſtingui. breuiſſimum interuallum ſecundo vento dimenſum eſt, ac ſub meridiem Londinum ad Tameſim tenuerunt. ampliſſimum flumen, in pelagi ſpeciem in pelagus effuſum, atque ita vaſtum, vt inſulam mari non minus circumfundi, quã fundere maria credas. ex altera ripa aquarum dorſo contegitur altera, imò medio ex amne proſpectantibus neuter margo patet. ponte tamen iungitur, vel potius vrbe, in cuius ſpeciem immenſi fornices habitantur. miraberis oppida ipſa flumini impoſita, neque hoc preſſum, nec illa grauia.

Albione inita, Druidæ Angliam non probauerunt, ſed aut proxima Monã, aut minor Britannia continuo petita. regio totius inſulę aſperrima, perpetuis iugis, lacubus, fontibus infamis, cherſoneſis, ac finibus ſubindè interſecta, ac

pe-

pelago immixta. viliſſimum ſolum, ſed in illius remedium pelagus pretioſiſſimũ, mala potioribus bonis penſantibus fatis; nam Oceani eiectamenta ſuccinũ eſt. hoc veluti pretio mare ſolum mercatur, quod identidem abſorbet. Margaritarum etiam fœcundiſſimum; vt diſceremus ibi tantum gemmas exiſtere, vbi fluctuamus; ac tempeſtatibus actos deuolui ad terram vniones, tempeſtates ſecum afferre, quas excitent humi. Cęterum Surdi lapidis miracula, Lomundæ paludis ceſſantibus ventis tempeſtates, Caledoniae iubatas boues, frondes, ſchidia, ramos, ſi in vndas incidant, animatos, atque anſerum pennis indutos; ſolũ ac lapides bituminis, reſinae, ſulphuris inſtar ardentes non refellenda potius, quam affirmanda putarem. aiunt etiam, quà extrema ſui parte Britannia in Scãdinauiam obtenditur, inſulam fluctuare, ac tempeſtatibus actam ferri, ſæpe etiã vi tempeſtatum auelli litore annoſas quercus, quæ amplexu radicum inſulas ſecum auferant; & claſſis in morem nauigare, hoſtibus aliàs prodigio territis, fugatiſque, laceſſitis aliàs, quamuis adornata pugna ſępius riſerint, quod in arbores armarentur. experti in inſtabili

pela-

pelago terras inſtabiliores ; ſed mare agitari ventis, mari tellurem.

Petita Scotia, pars ad Angliam in Landonia, Merchiaque, pars in Eſchedelia conſtiterunt; inter Gadenos plerique, non nulli inter Nouantes; his Damni placuerunt, illis Epidij; quos Creones, quos Taizuli, quos Vacomagi, Mertæque, Catini, Cornabijque traxerunt.

Ita Druidibus pœnè ſeculum culta Scotia, in qua tandem conſueta indicta comitia. qua propter ſinguli in Sterlingam ad Caledoniam confluxere, quòd ea mitior ora ferebatur: atque illa è Britanni regis voluntate habita in ampliſſima domo, à ſuperioribus Scottorũ, Pictorumque Regibus excitata, in quam ſe reciperent, venationibus in Caledonia fatigati. Opus inter ſyluas non ruſticum, ac Regibus par: Veſtibulum ampliſſimæ areæ, aſſurgente paululum cliuo, imminet; tum per porticum aditus in cauædium aperitur. atrium infinita pilarum ſerie cingitur, quibus immenſi fornices incumbunt, qui quidem perystylio quaſi coronantur ſtriatis columnis, ſpiris, epiſtylijſque doricè elaboratis, ſignorum, ſtatuarumque pœne ſpi-

rantium exercitus vndique inſtructūs, quaſi ad Deucaledonium pelagus lapidibus animatis Deucalionis arte, qui à cataclyſmo lapidibus homines excitauerat. areæ medium fons occupat, e marmoreo labro in ſcopuli ſpeciem leniter emergens, ſpumicoſo lapide, nitroſoque, & in tubulos ſubinde excauato conflatus, viridiſſimo muſco, aut potius viridi, vt ita dicam, labe veſtitus. tum ſtriatæ buccinæ, conchæ aut leues, aut aſperæ, aut denticulatæ, faſtigiati murices, & in mucronem contorti, ſaxoſa conchilia, & imbricatim vndata, oſtrearumque teſtę, vndique diſſeminata, aquę in crepidinibus è maxima ſiphunculorū multitudine in editiore ſupercilio ex ampliſſimo Siphone ſubſiliunt, ac iaculantur; tum hac tridente Neptunus maria ad Atticam euocat, hac paulatim capillis colliqueſcit Arethuſa, hac paſtorū lacrymæ in Satyri funere Cydnū imitantur. quà fluminum capita vrnas exonerant: qua Bacchus expreſſum racemis liquorem pateris excipit: qua preſſa papilla genitrices inhiantes natos lacte demulcent. atque omnia ex integro lapide. in ſaxi latere modicus in ſpeluncæ ſpeciem aditus aperitur, vbi mul-

multiplici fluxu ruens aqua; auraque tenuibus ſpiramentis vel ducta, vel reducta, auium concentus imitatur. auicularum cohorte cognatis vocibus ſubinde deluſa, atque in aquarum murmure admurmurante. In aulam deinde ampliſſimi gradus ex vtroque cauædij latere hoſpitem ducebāt; ex illa tres, quatuorue vtrinque præcoetones, tum cubiculorum infinita ſeries, regia adyta, ac retractiora penetralia promittebantur. cubiculorum multa curuata in apſida, pleraque teſſellatis lacunaribus concamerata. valuarum obices dolata cedro, feneſtræ quà perſpicua chyſtallo, qua ſpecularibus obſtruſæ, ambigeres, pluſne luminis adimant, an tranſmittāt. Moles vniuerſa in quatuor angulos coit, e quibus altiſſima turrium faſtigia excipiuntur. parietum exteræ facies podijs vndique, ac mœnianis onerantur, internæ marmoreis popnigeis, atque hypocauſtis tumidæ, in hibernacula, vt Britanniȩ mos fert, ſemper ardentes; cȩterum immenſæ dietæ, latiſſimæ cœnationes, ſolaria, ſphæriſteria, ambulationes, cryptoporticus, piſcinæ, balinea; omnia Thaſio lapide, Numidicis cruſtis, Alexandrino marmore operosè con-

texta, & in picturæ ſpeciem crebro lapidum puncto variata circumlitione ficta. gemmæ ſolum ſtrauerant vltimo ex orbe in extremum hunc orbem latæ, ſpeculorum inſtar ita perſpicue, vt inceſſum cuiuſuis exprimerent. neſcio maiore ne animi luxu, an moderatione, calcato ingenti pretio.

E parietibus ſerica pompa pendebat, præcipuus labor, primus honor Britanniæ explicata peripetaſmata, quibus acus eruditiſſima Britannorum memorias, ac ſimulacra Regum incluſerat. luxuriæ non modico exemplo, indutis etiam parietibus, quò plura ſibi vitium ſufficeret integumenta. Ad excitandam igitur ſeram poſterorum memoriam, ſerico vſi ſunt, atque, vt obliuionis flumen enauigarent, textus illos velorum inſtar explicauerunt.

Brito, vel potius Brutus belluatis primus affixus, Alba accitus in Albionem. iam deuaſtata Græcia victrici claſſe inſulam quatiebat. cedebant cæſi gigantes, atque ex Britone Albion repente Britannia. Ab hoc inſultantes leuiri Cordilla fugabantur. Loyrius reuocatus in regnum amplexus filiā collacrymabat; eadem ruebat ad ferrum iam pe-

ritura,incerto maiorene animo,an pietate. Rex iuſſus Eliodorus,exulem Archigallum infenſis principibus principem aſſerebat. Pugnaturis deinde fratribus Bellino,Brennoque,mater infenſas acies pedes ingreſſa, Pallas viſa in certamine; ſed oliuæ frondibus redimita.hinc Brennus e patria cedens, iam Senonum Dux,deuaſtata Roma,nitebatur in Capitolium,futurus feliciſſimus,ſi cum canibus anſeres ſiluiſſent, quaſi vocibus abacta victoria. Poſt Brennum D. Iulius ſuis è claſſibus eminebat, Britanni ruebant ad ſcopulos, docebantque Cæſarem poſſe cedere. tum idem infelicibus Dijs aggreſſus inſulam, infelicioribus inibat Oceanum.iam vndatim criſpari videbantur aulæa,& tempeſtas inter pretioſiſſima fila ita ſæuiebat,vt etiã in horrore delectaret;attamen fluitabãt armamenta, Romanæque aquilæ, in mergos degenerauerant. Ex altera parte ſubiectis Cymoloduno facibus horrebat Plautius,ac reuocatus e Britannia Claudius albis equis triumphabat ex Albione. Quam miſerabilitèr vinctus Caractacus trahebatur! quam turpiter Cartimadua cum Brigantibus ſuis perfidiæ pretium iam numerabat. Oſtorij,

ac Manlij Valentis crebra certamina, oculos rapiebant in primis. cadauerum ſtrues, campi ſanguine redundantes, timor, aut minæ, & lethum vndique volitans, tum fracti Romani, aquilæque affixæ ſerico, ac filis, queis exprimebãtur, quaſi vinculis aſtrictæ, tamen ad fugiẽdum alis ſuis explicatis. Didio fortiùs ferociente Siluri parebant, ſed ad ſolum afflicti, vt magis exurgerent; nam in Monam çedente Suetonio, Duce fortiſſima muliere Voadica captum Camalodunum, ſęuitum in Londinium, ſtratũ Verulamium, legio nona ad vnum deſiderata, ſocij ſeptuagies mille cæſi. Longo ordine ſuccedebant Petronius Turpilianus, Trebellius Maximus, Vectius Bolanus, Petilius Cerealis, Iulius Frontinus, Agricola denique ſuis præclarè geſtis Tacitum pręconem meritus. quodam in angulo acus tyrannos incluſerat, quos plus ne finxerit, an fixerit neſcio. Carauſius cedebat Alecto, hic ab Aſclepiodoto oppreſſus, Gratianus municeps euectus, vt altius rueret, gregario militi Conſtantino præibat, qui prædã itidem iam iam euomere Arelate cogebatur. tum filo in canaliculos ducto Britannia vniuerſa vtrimque perfoſſa, at-

que

que ampliſſimo alueo duplex pelagus committebat. hinc in imperium euocabatur Magnus Conſtantinus Britanno vallatus milite, quorum virtuti permiſſa Britanniola patriam cōtra ſurgebat; Scotti, Pictique in inſulam tracti à Romanis propellebantur. quam belle ſurgebant pinnarum faſtigia turritis molibus ſubinde diſtincta: murus ipſe longiſſimè ductus validiſſimo obiectu hoſtiū exercitum ſuſtinebat. feruens aqua, ſoluta bitumina, candentes arenulæ ſupernè ruebant, ſaxa, ſcopuli, parietes ipſi, vt parietem tutarentur. Picti contra vel femineces minabantur, teſtudinibus, ſcalis, turribus. Vxorius princeps Vortingerus Hengiſtum Saxonem, & Horſam fratrem, e proxima continente reuocabat. quo ſtudio proſequebantur oculi pincernæ elegantiam! quàm mollitèr ab indigno Rege expetitæ nuptiæ. Conſequebatur hos occupata Britannia ternis cum liberis Aella Angloſaxonū primus Rex. Cerdicius ſua in ora iam exultabat pulſo Nazaleod Port potitus littore Portiſmudæ. Picti tandem abigebantur. Accedebant ſæpius Daci vel victores, vel profligati, denique ab Eduardo, vel Nortmando, vel Cimbro

ita afflicti, vt nunquam conſixerint. Explicabat in frigidiſſima regione Guilielmus ardentiſſimas belluas, leones ſuos. Auguſta Mathildis iam in Stephanum irruebat, & Rickardus capta Cypro regnabat in Syria. Sed vniuerſa belluata vnus impleuerat Arthurus, ardentibus oculis, erecto corpore, ſtricto ferro, Mars Britannus. in Bandonico monte, præcipuè magnæ Virginis imagine armis inſuta, pœne fulmen, ac labes iam videbatur. Nongentis hoſtibus quaſſa moles illa prope dixerim ænea, tamen quos ferro, quos clypeo, quos impetu, quos oculis, quos ſpiritu exanimabat. docens Aſtronomos, Arthurum mergi, ſed ſanguine, non mari.

Hæc Britannica periſtromata. hæc belliſſima belluata, in quibus fortaſſe promiſſior fui. quis enim in ampliſſimis rebus arctior ſit? quilibet ſibi non impari induendus veſtimento, nec infans Hectoris chlamyde, nec Hercules pumilionis prætexta gauderet.

Hac igitur in aula iam frequentiſſimis comitijs Druidum agmina vniuerſa conſederant, factaque loquendi poteſtate, quidam inter ſeniores non vulgaris autoritatis hanc orationem exorſus eſt.

E Gallia fugimus Patres, non tamen Gallorum obliti. præclariſſimum regnũ pene ab ipſo mundi exordio permiſſum Druidis, non niſi ipſo cum orbe memoria excidet. illis deſtituti cum illis viuimus, terris ſecreti, non animis. Verum vtinam ijdem pari forent voluntate. Sed Galli Druidas expulerunt, vt illorũ memoriam non minus expellerent. noſtra certè inſtituta conculcant, noſtræq; nobiſcum leges iubentur exulare; Druidum monitis magis inuiſis, quam Druidis ipſis. Memini maiores noſtros cauiſſe præcipuè, ne quid in vulgus emanaret, vt ſcientia nobiſcum viueret, nobiſcum extingueretur. indignum digniſſima re populum, nec euehendum ad ſapientiæ faſtigium pretio vel vili, vel nullo. alijs tandiu pręponi virum, quandiu præſtet alijs ſapientia; ſi hæc cum cęteris communicetur, illum cęteris parem reddi. O viles literæ, ſi vulgi ſunt. o turpiſſimę doctrinę ſi iam omnibus peruiæ. Quid ergo ſingulis aditus ad literas aperimus? quid ditiſſimæ venæ cuilibet effodiuntur? tegenda potius ſapientia, ac theſaurorum inſtar abſtrudenda noſtris igitur legibus libri exulant, ne illis vulgus veluti ad prædam euocetur. pro

bi-

bibliothecis memoria ſit, hinc literas effodiant ingenia iſta rapacia, mentium vultures, qui aliorum ornamentis inſolenter induti, iactant ſcietiam, quam rapuerunt. Sed (me miſerum!) antiquiſſima lex iam apud Gallos antiquata eſt. ſuis ex alis pennas mutuantur, queis ſcribant aſſidue, quaſi liber libertati cognominis ſit; quod libet, calamus eructat aut potius euomit; pudet in ingentia volumina lumen voluere. ſecula legendis codicibus non paria ſunt, nullo ſcribendi vel modo, vel fine. Sed ſi vnam vulgarent ſapientiam ſæuiendum profecto in illos eſſet quòd doctrinas dilapidarēt. Verum vereor, ne ita inſcitia potius, quam ſcientia pateat; ne laborent in infamiam; ne ſtudeāt ignominiam potius, quam gloriam ſequi. Interea obortis affatim lacrymis, vtinam, inquit, hoc ego fletu tot ineptias delere poſſem, ac duplex volumen, vi quam potuit maxima, in ſolum deuoluit.

Neminem niſi ferreum ſenis lacrymę non mouerunt, qua propter reſeratis temere libris, vt aduerterent, quæ ſenem offenderent, Matteus, & Barclaius, Gallus hiſtoricus vterque, patuerunt.

Prior Petrus nomine, ſed nihil minus

refe-

referebat ac lapidem, leuis, volaticus, nō tamen ſententijs, aut ſtylo, ſed animo; hàc, illàc in ſingula momenta conuerſo. equum diceres intractatum, ac ſubſultim decurrētem. libat omnia, inſiſtit nuſquā; ibi moratur minùs, vbi longior mora eſt. qua propter illius frontem Valerij carmine notandam putant,

Dic vbi conueniā, dic qua te parte requirā?
Quiſquis vbique habitat, Pannice, nuſquam habitat.

Hiſtoriam ſcribere dicitur, ſed ſcribit omnia præter hiſtoriam; narrationes narrationibus farcit, & hiſtoriam hiſtorijs obruit. equidem admiratus ſum cur tot rebus onuſtum nauigium ita fluctuaret; quo ille tandem modo quolibet appelleret, cum ſolueret vndecunque. fractus ſtylus, arenoſus, & commiſſuris, ac nexibus deſtitutus. ſoluta, ac libera oratio, quouis excurrēti, placuit, nec membra vinculis ſuis, nexibuſque compoſuit, quo liberius euagaretur. Tacito familiariſſimum caput. miror certe Gallo ex auibus vocaliſſimo cum tacito conuenire. ad principes omnis ſermo, plus docere videtur quàm dicere, ſed aliquando dum præcipit prǫceps ruit, politicis pietate poſthabita. ciuitates inſtruit; inſti-

tuit

fuit regna; magiſtratuum magiſter eſt. farctæ ſententiæ, & longa in moribus mora, quapropter Seneca non parum probatur; ridebis cum Gallum hiſtoricũ audies Hiſpano ſcriptori ſubinde parere. hic prior.

Matteo cognito in nuperrimum ſcriptorem Ioannem Barclaium lumina inciderunt. Autorem ſua in Argenide, ſiue Argo non tam oculatum, quam omniũ oculis contrectatum, tamen in Sicilia, quam effinxit, Scylla, & Charybdi non caruit; quamuis Argum præſtantiſſimæ nauium cognominem ſortitus eſſet. in freto Siculo clauum fregit: clauim volui dicere: qua nuper priuatus eſt, quod illa clauigerum Antiſtitem laceſſiſſet; hunc primo codicem peſſulo obſtrictum animaduerti, autore forſitan metuente, ne paterent ineptiæ. audax ille nimium, ac tutus ideo parum, ruinæque identidem proximus, quod altiſſimus. nec mendax, nec verus eſt, ideoque nec hiſtoricus, nec poeta. vt vtrumque miſceret, vtroque caruit. qui duplicem complectitur hoſtem amicitia, neutrum potius tenet, atque infidus vtrique eſt, quòd fidus vtrique fuit. o rem bellam! vt fingat, abutitur veritate, ne aberret à vero, inſerit fa-

fabulas.fallor. poetis profecto inſerendus eſt, nam hoc rerum nexu pene incipit inſanire. Sed miror illum ſuo in Argo centoculo ita caligare.fortaſſe in Sicilia Cyclopem imitatus eſt exoculatū, ac prorſus cæcutientem, vel potius Argum certe , ſed à ſapientium numine Mercurio trucidatum.mea quidem ſententia inter Siculos Verrem Sicilię prętorem celebrauiſſet, etenim cum gente Caledonius ſit, Calydonium aprum in Verre laudare poterat,nam in eius oratione neſcio quid lutulenti animaduertimus,quamuis latinam puritatem affectet,atque ita ſe iactet in illo carmine,

Romam Romano qui docet ore loqui.

ò librum elinguem! præſtaret obmuteſcere, quam à gallo vocibus informari.

Cognitis libris, hac de re conſulenda Numina Druidæ ſtatuerunt;cum igitur ſolenne apud illos ſit oracula ab efferato verberibus viro depromere,ruſticum illac temere prætéruectum aggrediuntur,exuunt,obligant,tum fuſtibus, longurijs,funibus, loris maxima vi in miſerrimi hominis humeros irruerunt, vt verberibus oracula exprimerent. liuor illico, tum vulnera , & affatim cruor, querelæ ſemper, oracula nulla;cum tamen

men ictus fortius incuterentur, & acribus tempeſtas ingrueret, ac præter verbera infelici viro nihil inter verbera occurreret; autores, inquit, illos verberibus etiam plectendos eſſe. Ruſtici ex ore prolata temere verba exceperunt Druidę, ratique ſe in oraculum incidiſſe; ſcriptorum pene inſcitiam ferulæ iterum ſubijciendam putauerunt, magni Macedonis exemplo, qui ſuum hiſtoricum toties vapulare iuſſerat, quoties verſus in hiſtoria peccaſſet. Hęc ſatis meo de Floro, potius de Matteo, & Barclaio veſtris qui quidem quamuis Flori populares ſint, nempe Galli, non tamen florem ſortiti ſunt, ſed arborem, vel potius arborum virgas, & fuſtes à Druidis ſuis; quorum ego ſilentium imitaturus, hic reticeo. Dixi.

GAL-

GALLVS

PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Atque hic auratis volitans argēteus anſer *Æneid.*
Porticibus, gallos in limine adeſſe canebat. 8.

CVm hoc Virgilij carmine, tum Pythagorę in primis monito; qui iubet gallum pro foribus affigendum, nudius vel ſeptimus, vel octauus ineunte iam anno in noſtræ Rhetorices veluti limine gallum conſtitueram. Sed neſcio quo pacto prona, vt fit, in iurgium oratione, ac verbis ſponte ſua in maledicta flectentibus, gallum expuli potiùs, quam accerſiui, atque illum in Siciliæ freto demerſi, P. Claudium imitatus, qui pullos in nauali prælio non edentes, in mare proiectos coegerat bibere, neſcio maiore ne ora- *Val. l. p. c. 5.* *Cic. de nat. De.*

tio-

tionis meę, an Claudij, Iunijque naufra-
lib.9. c. gio. Vtrique certe Aeliani impleuimus
19. de vaticinium, qui merſũ in aquis gallum,
Anim. neſçio quid mali domibus ominari pu-
tat. Qua propter, ne gallis oculatiſſimis,
Aldour. vt aiunt, auibus, inuiſus omnino videar,
de Gallo cum gallo iterum canam, vocalis in vo-
caliſſima volucri.

Verum vereor, ne hac in aui mala aui perorem iterum; nam illud Martialis occurrit,

l. 7. ep. 95. *Gallum timeo recentiorem.*

quid? quod à veſtrum ſingulis, qui me dignisſima corona circumſtetiſtis, exaudire pene videor Horatij carmen,

l. 1, od. 8 *Gallica quin lupatis*
Temperat ora frænis.

Ne, vbi nuper offendi, nunc ruam; vbi vulneribus aliàs conciſus ſum, nunc peream. quin malo cautior fio? quid ignem digito fodio, quo nuper exuſtus ſum? Etenim ſuperioribus diebus mea de gallo vox, nõ minus auribus ingrata, quàm galli vox accidit; & malè audiui, quod
Aldour. malè dixiſſem. præſtaret igitur Sybari-
ibid. tarum legem inter Brutios rogare hic potius, qua galli iubentur ab vrbibus exulare, quòd ſcilicet ingratiſſimo ſtrepitu ad laborem mortales excitent in-

galli-

gallicinio. Mihi enim labori dolorem addiderunt etiam, quem ne luſciniæ quidem vox, ne dicam galli leniret. cecidimus dum galli pēnis aſſurgere volumus, ignari illius alas nō eſſe volatibus. Ad illum tamen iterum trahor, atque ad auim aggredior iterum, ac fortaſſe non infauſtis auſpicijs. vbi concidimus, aliquando firmamur fortius; nam ludunt etiam Zephyri, vbi Boreas debacchatus eſt, ac Principum iræ fœderibus ſæpe mulcentur. quid mari ſæuiùs, quid eodē ſubinde iucundius? qua propter

Naufraga de rapido referat ſi ligna profundo,
Tentat adhuc liquidas nauita puppe vias.
Fallaci dat lina noto, ſtabilique per æquor
Non timet infidam Theryn adire fide.
Nubila ſæpe ſuis alternant aſtra ſerenis;
Nuper atrox, inquit, mitiùs vnda fluet.
Æſtus amoris erit, pelagus quem ciuerat æſtum.
Lenis in amplexus porriget vnda ſinus.

Gallum ergo laceſſimus denuo; ſæpè enim renouata pugna, penes victum victoria ſtetit. atque id eò magis aggredior, quod inuito gallo nefas eſt quidquam auſpicari. etenim memini militiā,

nauigationem, magiſtratus, galli voci-
l.20.ca. bus tantum iniri , vt autor eſt Plinius.
21. Cum certatum prouocandi ſunt hoſtes, galli vocibus, quaſi pulſo claſſico, excitandi militum animi. Quirinales Aquilę non expediuntur ad pugnam, ni noſtra volucris iubeat . nec bellorum ianitor Ianus fores recludit ſuas, niſi gallus cõcinat illuxiſſe. Mare vero non tangitur, ni luſtretur gallinaceus. magis nautarũ animos galli vox, quam naues vnda ſolicitat, galloque inuito, vitatur pelagus. ſecundi flatus non tàm ab Aeolia, quàm à corte petuntur; etenim nauarchi putãt ab eadem volucri prænunciari ſolem, indicari ſerenitatem. Quid magiſtratus? non cogũtur comitia, niſi gallus receptui canat, & in campum Martium ales Martialis populum cogit. in arenam candidati procedunt, ſi candida gallinacei auſpicia ſint; & tribuum prenſantur manus, cum galli pedes pręcipiunt. illius alis euolamus ad dignitates; illius pennis nomenclator primò , tum faſti deſcribuntur; nec lictor faſces attollit imperij, niſi imperio gallinacei. ſed libet
Id. ibid. ipſa Plinij verba recitare. (Galli magiſtratus noſtros quotidie regunt, domoſque ipſis ſuas claudunt, aut reſerant: hi fa-

faſces Romanos impellunt, aut retinēt: iubent acies, aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auſpices; hi maxime terrarum imperio imperāt) hactenus Plinius. Quam malè igitur, neglecto gallo, Rhetoricen adiremus? ergo tam malo omine in noſtram artem ingrediendum eſt? apage ſis. Apollinē meum iratum habeam, ni galli indignationem hodie placem, vel potius Numinis alicuius iram in galli nomine.

Sed iam noſtri gymnaſij veluti fores auſpice gallinaceo recludendæ, vt diuitis etiam oſtium reſeratum galli pennis, Lucianus tradit. quis igitur Deorum expiandus? quod Numen leniendum eſt in ſuæ volucris offenſis offenſum? nam omnes pariter Dii gallinaceum ſibi vēdicare mihi videntur. Inter cæteros noctis fortaſſe Numen in primis, cuius ſilētium vnis galli vocibus rumpitur; cuius tenebris vnus gallinacei ſtrepitus plaudit; cuius torpor, & otium vnius galli pennis excutitur. à gallo docemur noctem etiam vigilijs datam: in ea caligine non omnino claudendos oculos, vt luci deſperemus; qua propter vt de nocte benè meritus, *Lucian. in gallo* *Alex. ab Alex*

Nocte Deæ noctis criſtatus cæditur ales. *Faſt. I.*

inquit Ouidius, gallinaceo fortaſſe cognatus,vt qui criſtam naſo gereret.

Sed Lares,Penateſque nocti litem intenderent, Laribus deberi gallum, cuſtodem Larium. aues alias ſylueſtres, ac ruſticas, vt quæ in nemoribus exulent, gallum regiam volucrem, vnam omniũ domibus,palatijsque concludi. quapropter Laribus tradendum,quibus domus cura commiſſa eſt.audi Satiricum

Sat. 13. . . *Et Laribus criſtam promittere galli Non audent.*

Rhoa. l. 16.c.12. Verum inſurgeret Aeſculapius: ſuis olim lacertis gallum inniti ſolitum. nec magni Socratis autoritas contemnenda, qui ſe Gallum Aeſculapio debere, iam excedens, extremo ſermone teſtatus eſt.

Valer. in Gallo Fortaſſe Baccho etiã adiudicaretur; nam gallo inter vineta diſcerpto,iuuari vineas arbitrantur;ac putat Aelianus ni *l.9.c.19 de Ani.* gallus vino ſuffocetur, mali neſcio quid à domibus contrahi.atque ita continẽs, ac tanta galli vox non niſi Baccho fortaſſe referendà, etenim nimius clamor ebriorum eſt.Gallus etiam, ſi rectè me- *Cæl. l. 16.c.73* mini,pincernam aliquando amore deperijt:at qua tandem cauſa? profecto vt vinum ſibi propinaretur.

Nec Hercules Baccho cederet, & gal-

gallum ſibi iure vendicaret, quem ſibi ſimillimum prę cunctis auibus intuetur. Etenim leones, quorum ſpolia tàm magnificè iactat, galli vocibus fugatos ſæpiùs animaduertit; atque in eius templi foribus gallos, gallinaſque à ſacerdotibus ſeruari, Mnaſeas autor eſt. *Æl. l. 17 c. 46. de Anim.*

Gallum ſibi præterea Mars, Venuſq; depoſcerent. ille enim, antequam galli formam indueret, ſpecioſiſſimus adoleſcens Alectrion nomine Martē vnum, ac Venerem veneratus eſt, numinibus illis, ſupraquàm mortali fas eſt, familiaris. *In Mithol. Cæl. ibi.*

At quo excidit Berecynthia? ad Gallū flumen in Phrygia culta, inter Gallos Sacerdotes gallis vnis addicta.

Quid furaciſſimum illud caput, Mercurius, inquam? haberet ille, quod noſtra ex aui viſcoſiſſimis manibus aucuparetur. etenim in Margarita identidē incidit, vt eſt in Apologo; & conſtans opinio fert, gemmas in eius ventriculis aſſeruari Alectonas nomine, cuius ope Cotronienſis Milo fortiſſimus pugil vſus. *Gallum Mercurio ſacrum, ait Luci. in Gallo.*

Sed occupato gallo, cætera numina rea de repetundis Latona faceret, cui difficillimè conceptum iam enitēti aſti-

tit humaniſſime Gallus.ideoque Iunoni etiam Lucinæ gratiſſimus, cum aſpectu parturientium doloribus medeatur.

Æli. l. 4. c. 29. Iam vero Phœbus cũ ſorore nuncium, ac ſalutatorem ſuum quo ſtudio proſequeretur? quum à gallo adoretur in primis, ac ſibi iam renaſcenti plauſus alarũ pulſibus excitetur.

Mnaſitheus ſexdecim Deis vnum gallum ſacrificauit *Luc. in Ioue Trag.* Hæc eſt Deorũ veluti pugna, vt Gallum occupent, in qua vel galli nobilitatem, vel Numinum vilitatem ſuſpicio. At vero cum alias itidem certantibus Superis, quod eſſet nomen Athenis imponendum, Minerua litem victoria diremiſſe perhibeatur, Mineruam hic etiã victricem ſtatuo, atque in hoc ſapientiæ theatro vni ſapientium numini gallum deberi aio; quo Deam etiam inſignitam ferunt, & gallum galeæ, & galeæ criſtis gallinacei criſtas impoſuiſſe. quapropter ſi Mineruam leniero, feciſſe me etiam gallo ſatis arbitrabor. Superiore igitur ſermone gallorum ſapiẽtiam nimis perſtrinxiſſe viſus ſum. offẽderat ſterquilinium illud, quo Seneca *Sen. in Apocol. de morte Claudij.* Gallum Principem laceſſierat, ſed natiuo populorum odio parcendum fortaſſe Hiſpano Rhetori in Gallum ſcribenti. ego tamen, vt inſcitię maculam deleã,

quam

quam fortaſſe contraxiſſe gallinaceus videbatur meus, in gallo doctrinas omnes oſtendam; ideoque Mineruæ maximè debitum.

Ac primo neſcio qua cognatione gallinaceus doctiſſimis viris inſeritur. gallica ſapientia in prouerbium ceſſit, atque hęc volucris in muſęo inſtar cycnorum eſt; tum grauis eiuſdem inceſſus, ac ſubinde pes in veſtigio firmus, obtutus ſæpe in cogitando defixus, atque à mento barbæ inſtàr demiſſa lacinia, gallum pene philoſophum faciunt. cortem ludum literarium diceres, & in galli gradibus pædotribæ maieſtatem admirareris. Sed, ſi lubet, in gallo omnes omnino doctrinas, atque encyclopædiã vniuerſam in illo concluſam attendite.

Illum igitur ad grammaticen principio reuocamus. gallem equidem, ni gallus literatus eſt. literæ ab auibus inuentæ feruntur, vt teſtatur Martialis, ſed à gallis præcipue: audi Plautum ſuo in Pſeudolo ſine dolo, & verum in fabula, quam lepidè, cum ſcriptionem recitat, mihi ſubſcribit: (*manus*.

An obſecro Hercle habent quoque gallina
Nam has quidem gallina ſcripſit.

Muſica galli vnius eſt. illius numeri

numerari nequeunt, nam modi ſunt ſine modo. perdius, pernoxque concinit, dodonæo ære vocalior: minus tātum muſicus, ingratuſque, quod nimis muſicus. imo propterea maximè muſicus. vitium cantorum eſt, nunquam deſiſtere, cum canere iniuſſi ſunt.

At vero Dialectice, hoc anno pręcipue cum à Gallis Lubræ promontorio tradi cœpit, Dialectice, inquam, gallo quam propinqua. veritas à cynica Diogenis libertate accerſenda. hic certè vir ſuo in dolio non ebrius, & abſtemius in vini cado, nonne Zenoni in dialecticis diſputanti deplumem gallum obiecit?

Suus eſt etiam in morali philoſophia Gallo locus. nam morum ille magiſter *Lucian.* Pythagoras, quamuis Crotonæ ad Sybaritas Gallis infenſos egiſſet, in gallum traſmigrauit. in eloquentiſſimam alitem pythagoræum ſilentium ceſſit; fortaſſe vocalior euadere voluit, quò mores crebriùs caſtigaret.

Nec à naturali philoſophia gallus ablegandus; in qua quæritur in primis, vt in Sympoſio Plutarchus habet, & Macrobius in Saturnalibus, gallina ne prius, an ouum extiterit.

Aſtrorum ſcientiam gallus præ cęte-

ris

ris ſibi vendicat;etenim ſi Plinius audiẽ-dus,norunt ſidera, ſiderumque curſum, horaſque interdiu cantu diſtinguunt. ea ſola auium cælum aſpicit crebro,vt planetarum itinera animaduertat . imo aſtrorum numerum auxiſſe perhibetur, quas enim hyadas dicimus,Gallinas Itali ferunt. *Pli. l.x. c.2.*

Ipſis Chimicorum inſanijs habilis etiam;viuique argenti fluxus, & ſemina ad aurum,argentumque conflandum, vnam galli nomenclaturam apud illos retulerunt;vt cum ſolem imitantur, ſolarem hanc volucrem ars vſurparet, & aurifice vterentur illo, quem Margaritorum fœcundiſſimum arbitrantur. *Aldour. in Gallo*

A gallo diuinorum ſcientia non minus petenda,etenim colendæ diuinitatis nota,ac ſymbolum exiſtimatur,Cælitũque conſcius imprimis eſt, quippe ſingulis Cælitum familiaris.

Sed libet à ſuperis in infimum terræ ſinum,ab Olympico ad Iouem Elyſium penetrare; quis crederet gallum Manibus etiam euocandis aptiſſimum? Canidia non niſi gallicinio immittitur ſepulcretis, incompto capite, nudato pede, ſuccincta palla,infernis canibus comitata,vt vulſa caprifico, detracta e ſtrigibus *Gallum præſtigijs saptũ tradit Luc. in Gallo.*

bus pluma, lectis e Colcho folijs, cera, luto, licijs vel ſolutis, vel duratis, vel implicatis, cum galli carmine carmen auſpicetur. Cecropem certe immolato gallo leonis ſpecie exutum ferunt. reuocato (mirum) e leone animo ab eo ipſo, qui leonem exanimat.

Columm. in Enn. *Eraſ. in Chil.*

Cal. ibi. Galli præterea inter medicos quantus vſus! auis certè medica nuncupatur, & Galenus, ſi iocari licet, à gallo fortaſſe nomen mutuatus eſt. ille cantu fomentū doloribus, plumam puluillis farciendis in quietem profert. ille noctu optatam ægris lucem acceſſit vocibus, inuiſamque languentibus noctem alarum pulſu quaſi flagellis ſolicitat, pellit, eliminat, ſi Lucretio credimus, cum ait;

l.4. *Quin etiam gallum noctem explaudentibus alis*

Auroram clara conſuetū voce vocare.

Quid leges, ac iura, quibus vnis natus gallinaceus mihi videtur. etenim gallus, ſi Cicero audiendus, vt buccinarum ſtrepitu milites, ita patronos ad leges euoluendas cantibus excitat, quaſi parum à corte differat curia. Vitellius mihi teſtis hic excitetur, cui Viennæ ſupplicibus tabulis reſpondenti, gallus interfuit, in illius humeros primum, tum in caput

Suet. in Vitellio.

in-

inſiliens, quaſi cũ recente principe ius itidem diceret. iam vero quam bene rogarentur leges canore gallorum! quam bene iuberentur tantæ alitis roſtro, niſi pro roſtris! quàm belle legum latores, ac iudices à gallo exprimerentur! illi enim contra ſolem ius dicere iubebantur, cum hic vnius radio ſolis rapiatur. Sed huius rei luculentiorem teſtem Ariſtophanē comœdum accipite. hic gallũ in Perſis olim regnaſſe, ac leges ſcripſiſſe credidit, illoſque populos tanti legũlatoris ſeueritatem adhuc horrere putat. etenim in gentem illam gallinaceus diu dominatus, adhuc criſtam attollit in coronæ ſpeciem, vel potius Perſicæ mitræ; tum verſicolor corporis, colli præcipue, ac pectoris penna, auri fulgor, vel potius ſemina, guttæque illitæ per interualla, ac per plumeam iubam roſeæ prope dicam lituræ diſſeminatæ, cydarim Perſicam, vel cyrbaſiam exprimunt, aut regale paludamentum. acres oculi, erectum caput, gradus ad numerum reſpondens, & magnificè explicatus, alitum vulgus dicto audiens, plebs ad nutum expedita, pene dijs inſerunt, ne regibus dicam. e quibus conficiatis licet, legum latorem illum, ne dicā peritum. Cal. ibi.

Hunc

Hunc ſcientiarum apparatum in gallo antiquitas admirata eſt. quapropter, vt illius aſpectu ad doctrinæ ſtudia iuuẽtus excitaretur, gallorum certamẽ, & munus quot annis Pergami, ſi Plinio, Athenis, ſi Aeliano credimus, edebatur; qua re Londinum in Britannia noſtra itidem memoria Athenas imitatur. Aluntur igitur in Anglia in Galliarum conſpectu gallorum pugnaciſſimi, acerrimi prope dixerim gladiatores, & buſtuarij, quos roſtro, pennis, vnguibus, calcaribus diſtinguunt, ſtatoque die inter hominum globos ſeſe premẽtes mutuo, trudenteſque in theatrum, volucrũ audaciſſimum par ſericis habenulis, aureiſque loris educitur. inter multitudinẽ erigit ſuperbe ceruicem, quaſi ſpectatores ſpectaturus, & admirationem admiraturus. ferro vngues onerantur; ęre duplex calcar includitur; vertex firmiſſimis galericulis, roſtrum ærata itidem buccula, lacerti denique toti tenuiſſimis tenijs aſtringuntur. Cauda auro, argentoque à collo per ſpinam ducto, ac reticulatim explicato implicatur, ac ſuſtinetur. à tergo, a lateribus, à fronte flocculi, crepitacilla, bullulæ, lamellæ, crepundia qua pendent, qua eminent, qua

Pl. l. x. cap. 21.
Æli.
Luc. de Gymnaſ.

ſe-

tenui flictu leuiter conſtrepunt, ac tintiniunt, conis, apiculiſque, aut ſpiritu, aut leni volucris motiuncula vndatim quaſſis, ac vacillantibus.

Hac pompa, his armis inſtructus inter curioſiſſimam multitudinem gallinario duce per anguſtam ſemitam ijs animi neruis, ac robore, quod deceret imperatorem, in theatrum deducitur gallus; æmulus e conſpectu reſpondet alijs ſub inſignibus, pari tamen pompa; nec impari animo. interea populus hac illac ſtudijs ſubinde diſtractus, atque in alterutrum pendente voluntate, in vota effundi: Fortunam, Martemque precibus fatigare, vt hanc, illamue victoriam Dij ſecundent. plebe, ſenatuque ampliſſimis ſponſionibus inter eos laceſſitis, prouocatiſque. Iam vero fortiſſimi gladiatores vocibus excitati, primum quidem quaſi ad oſcula preſſo capite (ita, huius ſeculi vitio ſimulatio vel aues inceſſit) reuera vt hoſtis vires, ac neruos inſpiciant, accenſis oculis, ac tumente velut odijs iuba, e carceribus immittuntur; tum erecta ceruice, alis explicatis, pupula in ictum intenta, roſtroque in vulnus directo, concurrunt. deinde inſilire in hoſtem; vngue fodere; calcaribus

pre-

premere;roſtri mucrone petere; non ſanguini,non vulneribus parcere; ictus vel capitis flexione, vel oppoſita pluma, vel alarum obtentu,vel ſaltibus excipere,frangere,declinare. criſta petitur in primis;in illam lumen,ac telum intentum, vt regium inſigne ab hoſtis fronte præcipue deuoluatur. Hoc interim ſpatio torpentes iræ allij ſuccis à pullario inſtaurantur, atque accenduntur; accenſæ iuuantur vocibus. ictus plauſu proſequitur populus, victoriam ſibilis.quamuis ſæpe ab afflicto,proſtratoque Mars ſteterit,victoque vel extremæ vires,vel deſperatio,vel victoris incuria victoriam identidem pepererunt. adeo fortuna certaminis vel in ludicro ludit,ac nutat.

Cal. ibi. Munus hoc à Themiſtocle inſtitutũ tradunt,quod gallorum aſpectu palantes milites excitauerit,illis ex auium pugna ad pugnam properantibus, in certãtium gallorum aſpectu, certamine repetito. galli ſuis animis Athenienſibus animos indiderunt;ſuis vocibus vel militum caſtigauerunt ignauiam, vel fugientem fortunam reuocare nixi ſunt. Nam Athenienſes pene proſtrati à victoribus inimicis, palmam extorſiſſe perhi-

perhibentur; memores, e gallorum etiã cantibus, inquit Plinius, nobilem illam *Pl. l. x.* aduerſus Lacedemonios victoriã Bæotijs præſagitam. *c. 21.*

Sed tantum munus, ſpecioſiſſimumque certamen equidem alio potius ſpectare crediderim, atque vnis ſcientijs referri putarem, etenim in ſapientiſſima vrbe niſi ſapientiſſimarum ſpectaculum auium non dandum fuit, vt illo aſpectu in doctrinas impellerẽtur Athenienſes, ac diſcerent eodem modo inſcitiam debellandam.

Verum enim vero ſcientiarum in Gallo ſyllabum non hactenus abſoluimus; vbi miror ſane me inter Muſas memoriæ filias oblitum omnino. ſtatuo igitur gallum poeticæ ſtudioſiſſimum, Apollinique præcipue carum. ille bicipitem Parnaſſum non minus ſuperat, *Olaus.* quàm tricipitem collem in nobiliſſimo Neapolitanæ familiæ ſtemmate. ille vitat ſyluas, ac nemora, non tamen Apollinarem arborem etiam cauet, cum lauri baccis adoleſcat, ac ſaginetur. Liuiæque Druſillæ, Tranquillus, ac Plinius *Tran. in* memorant, gallinam ex vnguibus aqui- *Vitel.* læ illæſam in ſinum decidiſſe, laureo *Pl. l. 15.* oneratam ramo virente, bacciſque gra- *c. 30.*

uido,

uido, quaſi lauro ab aquilæ fulminibus tutata ſe volucris eſſet. e lauro ſylua, gallina gallorum exercitus non tam in Cæſarum fęlicitatem, quam in poetices argumentum creuit.

Iam vero Rhetoricæ deuotus in primis, quippe vocaliſſimus. Vbi galli quidem induſtriam pene miraberis, cum de nocte declamantem exaudies, vt die peroret feliciùs, atque vt ex vmbratili
Pl. l.x. c.21. illa noctis oratione in pulueremm, ac ſolem prodeat, quem exorientem blandiſſimè conſalutat. hoc etiam quolibet oratore felicior, quod in oratione dormitante corona non cingitur, vt Demoſthenes in quęſtione de vmbra Aſini querebatur, cum mortalibus vel noctu ſomnum excutiat. Noſtro e gallo, AA. fatale Galli nomen inter rhetores promanauit. Galli oratoris eloquentiam ſuis in inſtitutionibus ſuſpicit Quintilianus, queriturque crudeles fatorum leges, quibus ille, ineunte adoleſcentia, e viuis exceſſerat, ne Tullio eloquentiæ palmam eriperet. de ſe etiam Corneiius Gallus memorat,

Sæpe perorata percepi lite coronam:
Et data ſunt linguæ præmia digna meæ.

Sed

Sed in Gallicæ argumentum eloquentiæ,quod addam, erit pene miraculo. Gallo conſule, Conſtantius Cæſar Gallorum obſeruantiſſimus, extincto Rhetore,quoGallica iuuentus inſtituebatur, Eumenium Rhetorem inter Cliuienſes ſexcentiès mille nummum mercede Gallis tradere oratoriam iuſſit . tanti Gallica eloquentia vel æſtimata eſt,vel potius valuit. Quid celeberrimas Herculis Galli catenulas memorem, quibus ille populorum aures dulciſſime rapiebat? oratores alij vix animos flectunt, hic traxit:illi aggrediuntur, hic expugnauit; tanto denique præſtantior cæteris, quantò vires precibus præſtant; illi enim vix populos mouent, hic etiam nationes captiuas duxit. *Sigon. an. 298*

Sed iam ab Alcide quid maius præterea mediter? Herculis igitur catena non aures traham,ſed potius ſoluam. iã galli iurgijs feciſſe me ſatis puto . hæ laudes maculam eluent, quæ fortaſſe præterita oratione inuſta putabatur. Denique in vocaliſſimo gallo conticeſco. vos interea valete, quos in gallo, gallinæ filios albæ cum Horatio futuros opto,ſperoque. Dixi.

SAPIENTVM,

In primis Gramaticorum Sympoſium in Delphica villa.

PRÆFATIO.

In Æſopi fabulas Græcas.

QVanàm ratione factũ eſt, AA. vt initiantibus nobis Græcis literis adoleſcentium animos, è tot linguæ optimatibus, primo templi aditu Æſopus occurreret? Deerant nè præclariſſima eloquentiæ lumina Demoſthenes, Iſocrates, Æſchines? Deſiderabantur fortaſſe amanuenſes gloriæ Thucidydes, Xenephontes, Herodoti? Aberant ne Poetarum Sirenes, Homeri, Pindari, Euripides? Et ſi minus abhorremus à ſacris, qua de cauſa poſthabitis tot no-

ſtræ

Digitized by Google

ſtræ Religionis oraculis,Baſilijs,Chry-ſoſtomis,Nazianzenis, veſtigijs monſtri tam deformis inſiſtimus? An illud primo veſtibulo loci religionem offert intrantibus,tanquam rude, ac fumoſum vetuſtatis ſimulacrum? An Æſopus hic nobis in multiplicem Græcæ linguæ labirynthum filum ſuppeditat princeps, qui ſolertia ingenij cum oris deformitate commiſſis,monſtroſum exprimit Minotaurum? An illius aſpectu,tanquam terribili larua terrorem facimus pueris Græcarum literarum incurioſis? ſtatura enim ad Pumilionum breuitatem, quam ad iuſtam hominum menſuram propius accedens,ea fuit ſpecie, vt faſtigiato vertice,ſimis naribus, arcuato collo, labijs reflexè tumentibus, oculis ſub fronte redeuntibus, & coactis in orbem, diuaricatis cruribus, & nonnihil anatinis, colore teterrimo,toto denique corpore inflexo,atque ventrioſo, ſcitè oculis ſubijcere viuo, ac ſpiranti opere Therſiten videretur Homericum; ſed illi longo ſane interuallo hæſitantis linguæ difficultate præſtabat. An denique ille nobis præfert facem ad Græcam linguam, qui hero ſuo, quà ad opiparã, quà ad aſperiorem cœnam, linguis tan-

tum conditis , hanc vnam ex humani corporis partibus eſſe , quæ præſtantia ſimul , pernicieque ſua cęteris anteiret, oſtendit? Videbitur cui veſtrum, quam poſtremo ſubieci cauſam , propius ad veritatem accedere. Equidem non aſsẽtior; nullo pacto fero ſuffragium . Cur ergo Æſopus omnium princeps proceddit in ſcenam? Excipite, ſi libet, veram noſtri conſilij rationem, neque eam in fabularum tabulis cenſeatis, exoro. Neque enim prorſus proluſioni meæ autoritas abeſt . Quæ ab exploratæ fidei viro nuper accepi contigiſſe in Sapientum conuiuio ad Theſſala Tempe ab Apolline ornato, vobis hac mea pene hiſtorica commemoratione percurram.

Maij Kalendæ (mirum quantum diſcrepat ab opinione populari!) nefaſtę ſunt Poetis, Grammaticis, ac reliquis ſapientiæ Patribus, qui in Senatu Apollinis ad Parnaſſi iugum, negotioſiſſimam ducunt vitam in otio literario. Ea nimirum die (vt Parnàſſi teſtantur Annales) baſis, quam propinatis poculis pincernæ ſubijciunt in conuiuijs, excogitatus eſt vſus. Quæ quidem baſis, cum bibendi ſeuerior veluti arbitra , nimiam poculorum coerceat licentiam; ad eo Sapientibus,

tibus, Poetis præcipuè, vt in primis bibaciſſimis, ob neceſſitudinem, quæ illis eſt cum Apolline, qui idem non rarò videtur eſſe cum Baccho, moleſta extitit, vt eum diē nigro lapide in faſtis adſcribendum, eius inuenti memoriam moerore, ac luctu putauerint celebrandam. Sunt igitur tunc temporis puræ plateæ, ſolitariæ porticus, deſertæ exedræ; vacat Curia; luget forum; ſilent ſubſellia; tecta mœrent, Lycęa ſqualent; horrent omnia. Altero verò, qui nefaſtū hunc excipit, die, ſolenne eſt Apollini, quo tantum à ſuis alumnis mœroris abſtergat, opiparum, Phœboque dignum conuiuium Sapientibus inſtruere in Delphica villa.

Eſt hæc, (quam recens Æſopi horror gratiorem faciat neceſſe eſt) in Tēpe Theſſalis excitata, hinc anxia Arte, atque ſollicita, ne ſe vinci à loci ingenio, ac facilitate pateretur; inde omnes artis conatus præuertente, atque eludēte Natura. Sunt Tempe Theſſala (vt ſcenam, antequam fabulam, vobis mea oratione ſubijciam) conualles quædam, quę viridi hilaritate ſponte ſe porrigūt in planitiem, tanquam caueam in voluptatis theatro extenſam à Natura in-

ter Olympum,atque Oſſam, quorum montium cacumina ſpiſſis opaca arboribus,crebrarumque fruticum viriditate lætiſſima, mirum quantum oblongo, ac procero tumore conſurgunt . Hac per Mæandri ſpeciem Peneus amnis interfluit, liquore profectò memorabilis fluuius; quippe leni tractu è fontibus labens, multa riparum amœnitate inũbratus,à compluribus planiciem diſtinguentibus, qui influunt,riuis,vt aquarũ vi augetur,ita minime eius placidè manentis turbatur alueus. Ad hunc fluuiũ, quà leuis tumulus creſcit molliter campo,ſuum Phœbus condiderat Delphianum.Cum eò propius acceſſiſſes,en tibi noua Naturę cum Arte contentio. Illa enim multiplici proſpectu, atque amœniſſimo , mirum quantum ſolicitabat oculos.Hæc vero ſignis, picturis, aliquot egregijs fabulis exculta pulcherrimè, eoſdem ad ſua ornamenta contemplanda rapiebat. Naturæ ſpectacula erant ab vtroque latere Oſſa , atque Olympus Montes , denſis contecti ſtirpibus, ſpiſſaque ſmilace conueſtiti, per multos vertices in nubibus fracti. Si vero oculos per horum diuiſa faſtigia immitteres longius,primum quidem con-

uallis

uallis delicias,amnis errores, ac cætera loci blandimenta proſpiceres: tum longè diſſitæ Theſſaliæ,ac Macedoniæ regiones,non iniucundo labore fatigabāt oculos , dum ſuo receſſu ſemper in remota liberiore fallebant . Cæteris vero Artis emblematis quam maximè anteibat vna Daphne,quę,vt formæ omnem abſtulit lauream; ita prope ſuo iure poteſt opponi fœdiſſimo Æſopo . Simul Apollo videbatur Daphnidem Nympham celerrimè inſecutus. Sed Nymphæ habitus erat fugienti ſimilis, atque indignanti ſeſe,& mutari, & amari.Rigebant in frondium primordia comæ creſcentes, & in vultu figura ſerpebat, qualis nec iam mulieris , & non dum laurus eſſet.

Eò loci ſe conferebant Grammatici (de his enim tantum in præſentia dicere, mearum partium eſſe conſtituo (ſed quot illi? quo habitu? quo inceſſu? Princeps ibat Crates Mallotes (noſtin opinor Attali Regis ad populum Romanū legatum)cuius caſu in cloacam dicere fortaſſe poteſt Grammatica, ſe erectam ſtare.Crus enim, quod fregit,multò firmius,eius facultatis gloriam roborauit. Dum enim diſſoluti cruris reparat dā-

na, Grammaticæ ſtudia, quorum penè iacturam fecerat Romana Reſpublica inſtaurat. Egregio inſidebat is equo, qui tolutim incedens, peregrinas phaleras, vniones Indicos, cõchyliatas veſtes, auro clauiculatum ephippium, gemmis diſtinctas habenas, cæteraſque opes, quibus tum ipſe, tum eius equus exornabantur, per vices exponebat, ac digerebat in lucem. Proximus ibat Lucius Craſſitius Panza Tarentinus, cuius nimiam feſtinationem ad epulas, refractarius, quem nactus erat, equus, aliquantulum cohibebat. Craſſitium Valerius Cato ſequebatur, Poeta cum paucis, Muſis, & Apollini penè à ſecretis. pedes hic, compoſito tamen veluti ad Poetices numeros gradu operosè incedebat, & ſcutulata, quam induerat, veſte reiecta in humeros, manu tangebat lyram, & obuios extemporario carmine ſalutabat: cui neſcio quis illud retulit,

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui ſolus legit, & facit poetas.

Interea exaudiri è proxima regione ridentium ſimiles, & irridentium cachinni, quos noſter Æſopus commouerat; qui rubra tunicula ſemiueſtitus, villoſo pileo ex vrſino colore, calceis, tibia-

tibialibus,femoralibus reſartis,non iam panis vt in Aſiæ profectione olim, ſed Panos penè dixerim ciſtá oneratus, cõgiarium,quod Phœbus Sapientum multitudini daturus erat,ferebat. Cernere in ea erat multò plures pyxides, alias alijs liquoribus plenas, quàm Pharmacopolæ circumforanei quotidie miramur in menſa. Condebatur in illis nectar,ambroſia, & quicquid facit ad ſapientiam comparandam, augendam, propagandam. Non deſiderabatur Letheus humor, qui quidem ſolus mea hęſit memoria,cætera effluxere.

Mitto iam reliquos, quos multiplex commendabat ornatus. Ab his enim omnibus auertit extemplo in ſe omniũ oculos Marci Valerij Probi inſolens cultus. Memor ille,pompam dari Maio menſe, iumentum conſcenderat tapete Grammatico inſtratum, ſparſimque ſchedulis,chartiſque puerilibus, quibus etiam intextus erat, ſuis veluti crepitaculis circumſonantem. Ipſe ſegmentata ex ijſdem pagellis veſte conſpicuus, ſe non tam auditores, quam ſectarios habuiſſe, nunquã vero magiſtri perſonam cum dignitate ſuſtinuiſſe, per ſummam impudentiam gloriabatur. Iam, ſi ad

ap-

apparatiſſimum ; quod Apollo dedit, epulum, accedat oratio; quis recenſeat ciborum delicias, pemmata, cruſtulas, placentulas, bellariá, tragemata, ſacchareas cupedias, poma glacie circumuenienti inſerta, ſecundæ menſæ fercula, gulæ vel faſtidioſiſſimæ, & ingenioſiſſimæ irritamenta? In eam cœnam, quæ vel lautiſſimas veterum, vt aſperiores incuſauit, poetæ pro ſymbola carmen quiſque ſuum contulere, & ſine fumo, vt eſt in paræmijs, litarunt. Ex quibus, vt noſtra hæc ſubſiſtat oratio, libet commemorare monumentum auctoris incerti fama, clariſſimi gloria, qui modis Doricis ad Apollinis laudem, Lydijs ad conuiuij hilaritatem, Phrygijs ad publicæ calamitatis luctum, nec non Diras in eius auctorem, mirificè temperata lyra, ita aures, & ſuauitate, & multiplici varietate mulcebat.

Phœbe, decus cæli, cui lucis fræna diurnæ
Flectere ſorte datum, quid iam geniale ſolutis
Vatibus, & blandas epulas, ac dapſile præſtas
Delicium, luxuque fluunt Parnaſſia Tēpe?
Non hoc iſta ſibi tempus conuiuia poſcit;
Si cum Marte ruens in funera ductile fatū,

Et

Et coniuratus Furijs malè lethifer annus,
Paſcitur à miſeris vacuum mortalibus orbem.
Tuque ò, qui tanta populatam cæde cruētas
Auſoniam, viduare vrbes aſſuete veneno,
Furcifer, exſatient tandem tot funera auaram
Ingluuiem fatorum, & in exſaturabile pectus.
Scilicet egregia eſt tua gloria, nullius artis
Egregium caput, ortum vrnas verſare malignas,
Compoſuiſſe dolum incautis, ſolaſque per vmbras
Explorare fores tacitas, & parcere ſomno.
Tùm ſeruare diù poſtes, cæcoque veneno
Imbuere, vt miſeros fallat ſine fraude colentes.
Alma quies, quæ iā feſſis mortalibus vna
Reſtat, & aſſiduo curarum innoxia fluctu
Monſtratis laruis turbatur, & vndique latè
Inſidiæ, fraudeſque tument, & operta malorum
Semina: prouectę vèl amica ſilentia noctis
Aurita in fraudes, atque ingenioſa nocēdo.
Quidue, Pater, tam immane nefas, dum veſcitur aura,

Aut

Aut Athô, aut alto contermina culmina cælo
Deijcis? hunc merito potius, pater, obrue telo.
In caput hoc tibi tela, miniſter fulminis ales
Expediat, rerum Rector, quem cuncta tremiſcunt.
Te furię, te Scylla vorax, te dira Charybdis
Hauriat, Oceanus quē iratis expuit vndis
Cui vel hyæna ferox admouit, & vbera tigris.
Te, te ego; ſed præſtat lætis lenire furorem.

Feliciſſimum inter conuiuium, vt præceſſit hilaritas, neſcio quis, vt de Apolline, ac Muſis, ita de Baccho tunc optimè meritus, conuerſus ad Æſopũ, qui philoſophus, vel a Natura ſeruorũ cenſus in tabulis, miniſtrabat conuiuis, ea, qua erat, feſtiuitate ingenij, quam lautiſſimę epulę licentioſiorem fecerāt: Hic, ait, Æſope, tibi calida opus non erit, vt vomas ficus; nam ſuauiſſima cibariorum copia, qua te ad ambas vſque aures implebis, nauſeam faciant neceſſe eſt. Hoc lemmatis, quod ſalſum cui ve-ſtrum fortaſſe videbitur, adeo inſulſum, inficetum, ac felle reſperſum Æſopus excepit, vt prudentiæ reuulſis terminis,

con-

continentiæ clauſtris refractis; Equidē, ſubdiderit, ficus calida vomam, tu vero vel frigida vinum. Adeo veritati cōſonat, quod ait Ennius, facilius flammā in ore ſapientis opprimi, quam vibratas ſententiolas, dicta punctim aculeata cōtineri. Cohorruit ille tam repentino perſtrictus aculeo, & iam cum Æſopo velitatus, imò, inquit, qui toties vinum crepat, vinoſus arguitur.

Cohorruit vniuerſum triclinium, in quod omne aculeus ille videbatur erectus. Quid tum? Gretſerius, cui cæteri GræciæGrammatici primas facile concedebant, primum quidem autoritate, qua erat, grauiſſimè incuſauit Æſopū, quem temulentum indicabat male conſtans præſens cum ſolenni, ac perpetua animi moderatione licentiā. Tum ne, vt fieri conſueuit, aliud ex alio traheretur conuiciū, quò perturbaretur conuiuium, re pro præſentia compoſita, ſilētioque indicto, ſe omnia ad Apollinem frequenti ſenatu delaturum ſpopondit. Tum hilariora prætendens, animos ab omni, quæ iam aſpergebatur, moleſtia vindicauit. Quid multa? Vbi ſe dies illa conuoluit, quam, niſi Gretſerij extitiſſet induſtria, minime ſolidam in delicijs

ſa-

ſapientes egiſſent; res agi cœpta eſt, in qua quidem componenda ſatis ardua prouincia eſt oblata Gretſerio. Quid? Æſopus ex reo actor euadit, ac patronum ſuum Gretſerium in iudicium accerſit de repetundis. Quid enim, inquit, tantum Græcarum literarum ingraueſcit annona, vt ne meæ quidem fabellæ craſſiori Minerua conſcriptæ, ne vulgi obluctentur ingenio, natiua lingua legentium oblectantur animos? quid inter eruditæ, atque vtilis voluptatis inſtrumenta habeor, ſi, cum à mea lingua veluti exul ablegor, à mortalium quoque auribus peregrinor? Quid Gretſerius Græci Grammatici perſonam ſuſtinet, ſi minus belle ſuas me interpretandi partes implet? multa ille effusè in eam ſententiam congeſſit, quæ, vt rem paucis abſoluam, ſilentio inuoluo AA. Accedo ad calcem. Res omnis eſt compoſita hoc pacto. Æſopum nimirum, vt pœniteret conuiciorum, quibus Sapientem aſperiùs acceperat, ac ſe tunc temporis, cum ea effutijt, ebrium fuiſſe fateretur, & à recta ratione alienum, non alia verò de cauſa, niſi ab inſana cupiditate, vt ſua eſſent, eadem, quæ ſcripta ſunt, lingua, perſpecta mortalibus. Contra

tra vero Gretſerius eius nomine , qui iniuriæ labe aſperſus fuerat, ſponſionẽ faceret, vadibus quoque datis, ſe effecturum ſuis Grammaticis lucubrationibus in Græcam linguam , vt Æſopus voti compos euaderet . Hæc inter illos ex Apollinis Senatus conſulto eſt facta conuentio. Iam Æſopum pœnitentia captum ſatis conſtat ; reliquum eſt, vt videamus , num Gretſerius promiſſis ſteterit , fidemque præſtiterit de enucleandis aptè eius fabulis. Ad eas igitur accedamus. Dixi.

CAM-

Digitized by Google

CAMPANA SERPENS
SIVE
CAPVA INSTAVRATA.
ORATIO

Habita Capuæ in inſtauratione ſtudiorum;

Cum Autor admodum adoleſcens literarios labores auſpicaretur.

Quod olim Hebræorū Imperatori legimus accidiſſe, cū ad Ægyptium Regem iam orator cōſtitutus ipſo Numinis ore, diuinoque afflatu dicendi præceptis imbueretur: id mihi hodie iam dicere incipienti contigiſſe animaduerto, AA. Vt enim traditum illi colubrum Diuina monumenta teſtantur,

tur,

tur, ita & colubros mihi tractare neceſſe eſt, ac veſtros ob oculos lethale ſerpentum virus, vipeream ſaniem, implicataſque ſpiras cogor pſillorum more producere. Spero tamen, vt Iudæa natio illius opera ſerpentis euaſit ex hoſtibus, ita colubros veſtros inſtrumenta fore, quibus Capua inimicorum vires vel deuincat, vel eludat: vt illa perennes aquarum venas aperuit, ita hos doctrinæ fontes vberrimos præmonſtraturos. Cæterum in hac literarum inſtauratione, Capuam vobis inſtauratam oſtendã, vt veteri quaſi cute ſpoliata, ſuis à ſerpentibus iuueneſcere diſcat hæc ciuitas. At verò nollem hic ego orationem venenis exacerbare, optaremque πειθώ potius, quam pythonem conſectari, ne in peſtifero ſerpentum afflatu, ſpirituque, mihi etiam vox pernicioſa prorumpere videretur, ideoque ne in illorum ſibilo, mea etiam exſibilaretur oratio. ad illos tamen Capua ipſa me vocat, ſuoque cratere digitum ad hunc vberrimum fontem, huius coronæ ſinguli intendere mihi videntur. Qui enim ſerpentes aufugiam eò loci, quo veſtrum ſtemma illuſtriſſimum aureo explicatas in campo, auroq; viperas coronatas intueor?

ſermonem igitur proſequar inſtitutum, atque in colubrorum ſpiris,& orbibus(ſi quidem ità iubetis) verſabor, ac flectar. ac fortaſſe hac in re ſerpentibus aptiſſimè vtemur; cum enim veſtris in laudibus centum ora, linguæque centum optandæ fuerint, vt Satyrico pareremus,qui noſtram artem vult,

centum ſibi poſcere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum.

Opportunè nobis ſi non centenæ, certè multiplices linguæ ſerpentium ſeſe obtulerunt, vt campanæ gloriæ additis linguis par eſſet oratio, mihique penè infantiſſimo plura dicendi inſtrumenta ſufficerentur,ne immenſo oneri prorſus impar exiſterem,ac veſtra decora,ſi non dignis,certe pluribus vocibus commendarem.Itaque ſerpentium ductu orationis vela libentiſſimè pando,proſperamque mihi nauigationem polliceor auſpicijs viperarum, ex anguium enim ceruleo tergo per cerula (ſi dicere licet) curſum auguror feliciſſimum, ſperoque eò me rectius progreſſurum, quò magis ſinuoſas, atque obliquas ſerpentes ſe præferunt.Interea Capuæ laudes attendite,Campani Proceres, atque aures ari-

rigite, vbi, quemadmodum ſuo in carmine Hetruſcus vates Claudianus de draconibus habet ſuis; ſic colubri etiam veſtri

Erecti roſeas tendunt ad carmina criſtas.

Verùm mihi videor AA. ipſo in veſtibulo offendere, primoque in gradu ruinę periculum, non aſcenſum intueor. Quis enim ſanæ mentis vir in Capuæ laudibus inſerat Viperas? Quis in hoc veluti generoſiſſimo cratere naturæ liquorem non propinet alium, ac venenum? Quis hanc refertiſſimam totius Italiæ mēſam mortiferis ſuccis inficiat? Quid? quod ex hac nobiliſſima concione mihi videntur contracto ſupercilio obmurmurare non pauci, atque ità ardentiſſimo vultu in orationem inuehi meā. Quì audes tu illuſtriſſimam Vrbem tàm infauſtis nominibus infeſtare? Qui tàm pernicioſis ſerpentum vocibus vulneras aures noſtras? deeſt nè liber campus orationi in fœcundiſſimo camporum æquore, vt te in anguium ſpecubus abſtrudas, anguium nodis, ac flexibus circumſcribas? quanto in ſtellatis campis clariùs euagaretur? quanto flores ſuos pulchriùs exprimeret ſermo in agris iis, quos ab annuis ſegetibus interquie-

ſcentes roſas fundere, ait Plinius, nos hyacinthos vidimus, carpſimus, delibauimus? aptior erratici Vulturni flexus, quàm ſpiræ ſerpentum, vndæ, quàm venenâ; atque vnguenta Seplaſiæ, quàm mixta toxica, materies, ac ſeges forent. Quid vero, cum effoſſas humi cryptas, Templorumque veſtigia ſuſpectu nimio contuemur; quid quùm ſtrata ſepultæ rudera antiquitatis, obrutas herbis, arboribuſque memorias, moles euerſas, ſaxorumque ruinoſa cadauera deſpicimus, ſuſpicimuſque, quid (inquam) in ijs ſerpentum potius nidos, quam gloriæ domicilia perſcrutamur? atque antiquæ maieſtatis obliti in inſanis ſubſtructionibus, in amphitheatris, ac circis, orbes tantū, ac volumina colubrorū admiramur? amandentur è noſtris finibus hæc portenta, ſpatientur hæc monſtra in vaſtiſſimis Numidarum arenis, atque in horridis Scytharum ſpecubus abſtrudantur.

Ità fortaſsè quis in me tacitus inuehitur, ita orationis meæ labefactare conatur argumentum. Tamen ne, quęſo vos, adeò à ſerpentibus alienos animos prę feratis; erit fortaſſe hoc ſub ſigno laus campana præclarior, eòque altiori faſtigio

ſtigio huius Vrbis gloria attolli videbi-
tur,quò magis colubros præfert:eò ſur-
get excelſior,quò magis humi ſerpere
exiſtimabitur cum ſerpente. Ac primo
iure quidem optimo ſerpentes attollit
hæc Ciuitas; quùm enim ita ſuborum
munerum prodigam, ac profuſam fru-
gum Deam animaduertat; quod aliud
potius vſurpet inſigne, quàm Cereris,
quæ draconibus ità delectabatur? vel
debet certè in hoc naturæ veluti viri-
dario cuſtos vigilantiſſimus ſerpens aſ-
ſidere, vt quondam Heſperidum hortos
dracone ſeruatos accepimus; vt enim
illic fructus, ità hic fruges flaueſcere
aſpicimus:illic aurea poma, hic aureas
ſegetes:illic Autumni dona, hic Æſta-
tis munera contuemur. Vel ſerpens hu-
iuſmodi orbiculata Capuæ orbem ęter-
nitatis pollicetur, atque epota hoc ex
cratere venena, ne vnquam venena
tradita noceant effectura puto Mithri-
datis exemplo. Vel, vt multorum ſen-
tentia fert, cùm huic Vrbi nomen à ca-
pite inditum ſit,angues accepit, vt ſer-
pentigero vertice, quaſi Gorgoneo ca-
pite,mortales ſi minus ſaxeos redderet,
certè immobiles humi ſuæ magnitudi-
nis ſtupore defigeret.

Tamen facere nō poſſum A A., quùm elatæ illæ ſerpentium criſtæ, minaces oculi, inflata colla, venenis grauida guttura, peſtifer ſpiritus, intenti morſibus dentes, ora tabo, ſanieque ſpumantia, ac terribilis ſibilus, graue, vt ità dicam, claſſicum mortis mihi obuerſantur, facere, inquam, nō poſſum, quin timeam, ac perhorreſcam. neſcio quid infeſtum, & graue impēdere mihi videtur ex hoc portento. Anhelant illæ fauces exitium; ſanguinem ſpirant, ac mortem. Quem craterem attollitis, hic vrna feralis eſt; quoſque angues intueor, hi ſibilo bellū indicunt, faucibus mortem intendunt: cærulea terga pallorem inferunt; innexæ ſquamæ ſqualorem minitantur, contortumque in arcum corpus iaculum lethale denunciat. Memini cùm Italiæ portentoſus Annibalis impetus immineret, viſum anguem virgulta omnia, atque obuia quæque dentibus proterētem, pectore proculcantem, quod noſtris regionibus exitioſum fore diuinatorum doctiſſimi iudicauerunt. Quod verò exitium vos ex veſtris ſerpentibus non expectabitis? Quem non deſignant ad cædem ſanguineus oculus, & ardens acies? Vbi non morſus imprimen tora

ra-

rabida, fauces famelicæ? Sic igitur ſtatuo AA., Capuam totidem vulnera excepiſſe, quot explicat ſerpentes; ac ſeptē illis viperis, quas aurea in concha coronatas attollitis, ſeptem huius Vrbis excidia deſignari. percurramus ſingula, ſi lubet; illuceſcet fortaſſe etiam inter cineres igniculus aliquis gloriæ, ac ſua inter incendia Capua fortaſsè fulgebit illuſtrior. Sed rem poſtulat oratio.

Primam igitur cladem Samnites intulerunt, qui Capuam ab incolis Hetruſcis admiſſi, in illa diù amiciſſimi hoſpites obuerſati, intempeſta nocte ciuem, ſibi nil tale à ſocijs metuentem aggrediuntur, vulnerant, opprimunt, atque, vrbe omnium nobiliſſima per ſummum facinus potiuntur. Hic coluber primus eſt, quem tandiu ſinu fouerat noſtra Ciuitas; hac ſerpente adhuc pupula Capua petita eſt, quam profectò puerulo Alcidi ſimilis manibus eliſiſſet, niſi vel amicitia inſidiarum metum, vel nox inſidias ipſas gremio contexiſſet ſuo.

Hæc à Samnitibus, quid verò à Romanis, quos ſerpentem alteram appello, perpeſſa eſt? piget referre, dicam, tamen, niſi vel vocem ſingultus intercludant, vel veſtro ab aſpectu obortæ

lacrymæ aciem abſtrahant oculorum. dirutа mœnia, obrutæ domus, perditi ciues, Senatus ſexcentorum cæde ſublatus, Capua, Capua inquam, omninò deleta. Hic fortiſſimus quiſque fame periјt; quibus fames pepercit, hos venena ſuſtulerunt; quos veneni vis non extinxit, hos inimicus mucro trucidauit. Nobiliſſimo ſanguine natarunt viæ; reliqui antiquis exuti decoribus, addicti campis, in agros allegati, illuſtriſſimam Vrbem ſuam pagum redactam contuiti ſunt.

Putabam Capuæ ruinas iam conſediſſe; putabam non amplius ſanguine vulnus fluere iam obligatum. At verò quas iterum tragœdias excitari video, quodque miſerabilius eſt, Capuam ab iјs afflictam accipio, à quibus ſeruatam oportebat. Superiorem cladem ob admiſſum Pœnum attulerunt Romani, hanc nec fidei memores, nec officij inferunt ipſi Pœni. Alaricus enim, ſiue Vindelicorum Princeps, ſiue Scytharum, Carthagine, quo ex Hiſpania imperij ſigna tranſtulerat Romam, in Maximũ Patricium ab Eudoxa vxore vocatus, veſtris finibus tertius anguis acceſſit. Romanis in ciues ſæuire ſat fuerat, hic trucidatos homines non æqua ratus argu-

gumenta crudelitatis ſuæ, ipſa etiam in mœnia, ipſos in parietes feritatem ſuam effudit. Videlicet religioſus vir, ne impij ſubiret notam, ſi cadauera inhumata relinqueret, illa euerſæ ruinis Patriæ tumulauit. Semeſi igitur arcus, dirutæ moles, euerſa pinnarum faſtigia, ſepulta ingentia columnarum capitula, effracti ſcapi, turbineſque ſaxorum, Capua denique ruinis ſuis ſibimet incumbens, ſeſeque proculcans, tuæ iræ veſtigia, Alarice, ſunt. idem tibi ferrum, & gladij vices, & ſcalpri ſubijt, ſiue necem moliretur, ſiue moles demoliretur.

Tres iam Serpentes abſoluimus; reliquum eſt, vt cæteros recenſeamus, vt ſeptem veſtri ſtemmatis viperas tandē intueamini. quos retulimus, hoſtes infeſtiſſimi; fortaſſe reliqui mitiores, ſæuitia iam ſeneſcente, & quaſi à multiplici clade defatigata. Quarto igitur loco ab exoneratæ Scandinauię finibus Longobardorum excepit vim. Otho deinde Imperator ictus Romani Pontificis fulmine, Campaniam vniuerſam, Capuam in primis dirutis mœnibus infeſtauit. Sexto loco Sueuorum furias Corrado Duce, Septimo Gallorum excepit.

Hi ſeptem hoſtes, hæc ſeptem excidia ſunt,

ſunt, quæ ſeptem Viperæ veſtræ mihi videntur; Samnitum inſidiæ, Romanorum iræ, Alarici furiæ, Longobardorũ vis, Othonis impetus, Sueuorum furor, libido Gallorum. Neque hic ego in ſeptem Capuæ caſibus de ſeptenario numero Pythagorçorum, aut Platonicorum ſomnia referam, dicam tamen id quoque in laudem detorqueri poſſe. Quid enim? nonnè Vrbium illuſtriſſimas, nobiliſſimaſqùe Prouinciarum ita imitata eſt? peruolue veterum monumenta; animaduertes primo ipſam orbis imperatricem Romam ſepties cecidiſſe. Septem duces etiam bellum in Thebanam vrbem, ſi Varroni credimus, intulerunt. Græcia à Cyro, Xerxe, Romano, Gotho, Belgaro, Saraceno, Turca ſepties infeſtata; ac Phrygiæ lumen Troia, ex qua fluxiſſe Capuam, ex qua duce Capye principia, nataleſque ducere iure iactatis, Troia, inquam, ſepties vexata eſt. primò iras, & monſtra Neptuni, tùm Herculis clauam, tertio ſecurim Amazonum, quarto Græcorum ignes, Darij rurſus excurſiones, tùm Cinnæ gladium, ſeptimo Fimbriæ ferrum experta eſt. Ita, quæ principes vrbes æquauit gloria, æquauit etiam caſu,

par

par illis vel imperio, vel ruina. Regum fato trahi regium eſt. cecidiſſet vilius, ſi rarius cecidiſſet.

Quamuis ex incēdijs illis, quaſi Phœnix alter, pulcrior renata eſt; ita illam ſubindè oportuit interputari, vt felicius virentes comas expromeret. inter tot clades, clades didicit non expauescere, & obcalluit ictibus cutis, vt incaſſum poſtmodò peteretur. ſubmiſit ſuperba faſtigia, vt fama liberius volitaret; ſolū ſæpius excuſſa tetigit, vt humi fortius firmaretur, &(ne a veſtra ſerpente diſcedam) quaſi Hydra aliqua ſecto corpore capitum feraciſſima firmior creuit in inimicum. Hoſtilis gladius veſtræ Vrbi altiſſimè impreſſus ſolum veluti proſcidit, ſulcos duxit, vt gloriam diſſeminaret, quam deindè pubeſcentem feliciter meſſuiſtis; veſtroque in buſto cunabula immortalitati parata ſunt. Ruinæ illæ quaſi vulnerum veſtigia, obductæque cicatrices antiquæ virtutis monumenta ſunt; & vt militum mos fert, qui bello iam functi, vt aliquod virtutis teſtimonium proferant ſuæ, tunicam diloricant, atque cicatricoſos artus, perfoſſum pectus, diſſipata oſſa, compages neruorum diſſolutas, lacertorum debi-

lita-

litatem, mutila membra, & corpus vndique lacunoſum oſtentant: ita Campana Ciuitas quà fuliginem exuſtionum, quà tormentorum ictus impreſſos, quà cuniculos effoſſos, hinc ſaxorum præcipitia, excuſſaſque lapidum ſtrues, illinc labentes muros, & caſura pinnacula, quaſi demortua membra, lacertoſque debiles exhibet, magna virtutis teſtimonia, magna laudis argumenta. atque hic exclamare cum Troianorum Duce mihi licebit:

O terque, quaterque beatos,
Queis ante ora patrum Troiæ ſub mænibus altis
Contigit oppetere.

ter, quaterque, videlicet ſepties beatos ex Macrobij ſententia appellat ſuos, qui in Troiæ ruinis occubuerant, quæ Troia ſepties ceciderat, vt modo vidimus, vt ſeptena beatitate ſeptem excidijs reſponderet. Ita, Capua, tuæ parenti ſimillima ſeptiès cecidiſti, quò ſeptiès felicitatem, gloriàmque adiungeres tuã, dicam igitur potius, veriuſque:

O terque, quaterque beatos,
Queis ante ora patrum Capuæ ſub mænibus altis
Contigit oppetere.

Ve-

Verùm ne macula aliqua hic cõcepta eſſe videatur, ſeptem his caſibus ſeptẽ heroas opponam, quorum ſinguli vel ſua virtute, vel ſanguine maculam omnem delere poſſent. Accipite igitur hęc magna exaggeratæ virtutis monſtra, animique prodigia.

Ac primo mihi tui gladij fulgor innoteſcit, Perolla, cui Annibalis caput tua ineluctabilis vis deſtinauerat, euentus non virtus defuit auſis tuis, quodque nobile facinus non perfeceris, incuſanda fortuna, non animus. O fortiſſimos lacertos, niſi Pater continuiſſet; tuque maleuolentiſſime Genitor, abſolue iam ficta iſta pietate filium; concede illuſtre brachium vulneri, virtuti viam, aditum gloriæ. Sine, ferociſſimo illo ſanguine cruentet dexteram; ſine, natus de omniũ victore gentium triumphet aliquandò. Sed animum, non celſiſſimum virtutis faſtigium, Parens inflexit: Pœnum, non victoriam ademit filio. æquè magnum putandum eſt ſiue patraſſe magna, ſeù cogitaſſe: illa animi, hęc virium eſt: eſt illa pectoris virtus, hæc brachij.

Annibali inimico Romanorum hoſtis potiſſimum ſubnectendus Vibius Virius, cuius celſitudinem animi admiran-

rantur cuncti, nullus æquè; laudant ſanè vniuerſi, nemo ſatis. Hic ne Romano victori ſeruiret, ſenatorum ſeptem ſupra viginti in ſententiam adductis ſuam, ampliſſimoque epulo exceptis, venenatum poculum exhauſit. Libertatem igitur vita duxit potiorem, maluitque liber perire, quam ſeruus viuere; ne victoris catenas, & vincula admitteret, vitæ fila diſcidit; & ne preſſa ceruice ſeruile ſubiret iugum, erecta mortiferam ebibit potionē. In patriæ ruinis vinci nequijt; in communi caſu triumphauit, craterēque ſuum quaſi parmam aliquam ictibus inimicorum obiecit, illoſque ſuſtinuit, vt illud Maronis vſurpare poſſimus,

Se poſt cratera tegebat.

O glorioſiſſimum pectus veneno magis, quam lorica munitum? quæ in te portenta contueor? idem dum te perdit, cogit vincere; dum citiſſimè extinguit, vitam parit ſempiternam. hoc in liquore velificabitur fama; cui animas das, dum agis animam; auras ſecundiſſimè ſpiras, dum expiras.

Tertium obtinebit locum Taurea Iubellius popularis veſter, qui vxore, liberiſque trucidatis, ne hoſtis vim vllam

exci-

exciperent,cum inter cadauerum aceruos mortis ſibi copiam non fieri cerneret,vitam exoſus in extincta patria, vel in frequentiſſima inimicorum concione pectus aduerſum traiecit gladio,vt ſe Capuæ funeribus victimam immolaret. Suſpexit animum hoſtis ipſe, miratuſque eſt,illum ſibi non peperciſſe,cui inimicus ipſe pepercerat; vitamque vltrò conceſſam,vltrò profuſam.aſtricta vinculis manus diſſolui potuit ad ſe necandum,in quo mirum ſanè hunc,quamuis à Tauro nomen acciperet,iugum tamē ità fortiter excuſſiſſe, vt liber emoreretur vel captiuus.

Nec te quarto loco præteream fortiſſimum patriæ Vindicem, flos Campanæ iuuentutis, qui feruentiſſimi ſpecimen animi flammas romanis tectis ſubijcere ſæpius auſus es.incenſa patria ignes in hoſtem detorſiſti, atque ex Vrbis cineribus tuæ faces,quibus hoſtem incenderes,inflammaſti. Illuſtrent tam prēclara facinora ardores natiui potius quam lumina orationis; illa ego libenter prætereo,nam clariora reddere diffido prorſus,quæ ita facibus ſplendeſcūt ſuis.

Iamque quintum locum teneo, vbi mihi

mihi præ cæteris Campanus Vittola, occurrit, cum fortiſſimè ad Beneuentū Græcas Conſtantij copias profligaret. Diremerat fluuius Calor exercitum, cuius propiorem ſibi partem aggreſſus Vittola, illam prorſus extinxit: flumen victoriæ curſum retardauit, ne reliquas etiam perderet, atque interfuſæ aquæ ne palma pubeſceret, ne triumphalis laurea pulcrius vireret, ſuis fluctibus (quis crederet) obſtiterunt. Hoſtis vel propè flumina, fulmine tamen campano correptus eſt, ſenſitque ab vndis illis perſolui lacrymas funeribus ſuis.

Ex Beneuentano flumine ad flumen veſtrum propero A A. Prodeat Matronarum generoſiſſimus chorus, quæ vt ex præcipiti Gallorum libidine euaderent, dederunt ſe præcipites in Vulturnum. Quid Clœliam Romana Ciuitas iactat, ecce tibi ſexcentas Clœlias, quæ vt ad gloriam enatent, libentiſſimè merguntur. Potuit hoſtis bona diripere, nō honeſtatem; potuit Capuam incendere, non flammas libidinis ſatiare; potuit ſacra omnia violare, non corpora. Fluitabat victrix matrona pro ſtupratoris thalamo iam fluminis alueum, fluctus ſortita pro facibus Hymenæi. Memini,

vt

vt eſt in fabulis ; quum Daphnidem Apollo inſequeretur, nympham propè fluminis ripas lauri figuram ſubijſſe ; at verò mulieres noſtras, quum ab inſanis amatoribus expetitæ ſe ſe deuoluunt in flumen, nonne lauream mereri dixerim triumphalem? maximo viris animi, mulieribus caſtimoniæ documento.

Te quoque inter Campanæ virtutis principes inſerã; Princeps nobiliſſime, Ioannes Baptiſta de Capua; ſenſi enim iam pridem me tacito quodam intuitu ab omnium oculis caſtigari; quod dum ita curioſè peruoluo vetera, te penè præſentem prætersam. Sed euagata lõgè eſt oratio, vt in te conſideret: hac, atque illac erratico curſu fluxit, refluxitque, vt in tuo quaſi laudum pelago tota tandem effunderetur. Verũ in quæ primò ex tuis præclarè geſtis lumen intendam? quid potiſſimum dicendum ſuſcipiam in ea rerum multitudine, immenſitate? Primo igitur te mirati ſunt Salentini, quùm tuo traditi eſſent imperio, quibus veteranis imperatoribus par etiam tyro viſus es, cum in vmbratili pugna cœpiſti circuire caſtra; redigere in ordinem militem; educere ex inſperato; immiſſum exercitum continere;

aciem vel ſinuare in cornua, vel cũneare in turbinem, vel in quadrati formam explicare; quà nodos peditum, quà turmas equitum diſponere; legiones, centurias, manipulos, cohortes inſtruere, bellum committere; conferre ſigna. ſed ponebas tunc rudimenta militiæ. Quid? quũ in Tranſrhenanos omnes irrueres; quum Belgium aggredereris; quum in Aduaticos, & Tungros irrumperes; quum Friſiam quateres; quum Batauiã inuaderes; quum Bruxellanas arces euerteres; quum Bredanis mœnibus potireris. Prætermitto fractos Gallos, fuſos Mantuanos, ac Tranſpadanos omnes tua vnius virtute ſuperatos. Quando te non inuictum admirati ſunt vel hoſtes, vel tui? Quando efficaciſſimi illi lacerti non exeruerunt vires ſuas? quãdo potentiſſima illa dextera maxima non agitauit, aggreſſa eſt, perfecit fortiſſime? Iam Belgæ, Hyperboreus populus, vniuerſi rebelli ceruice iugum ſubierunt; miranturque in plagis Aquiloni deuotis, in oris ventorum infeſtiſſimo ſacris, ventis ita ſecundis tuam victoriam velificatam, vt ad gloriæ portum appelleret feliciſſimè.

Iamque ſeptem excidijs tuis totidem

oppoſui, Capua, qui ruinàs inſtauraret, ac fortaſſe glorioſiùs; gloria eſt enim cadere, & opprimi tenebris, vt explicetur hæc ſidera; vel occidere cum ſole, vt clariùs oriaris: vinci etiam laus eſt, vt indè ad proculcandos hoſtes eas vires comparemus; & victrix Parthorum fuga, quam inſequentium cædes, potiùs celebranda. Iure igitur iactas ſerpentes tuas, quarum venenis ſic liberata es, quarum morſus tu vindicaſti.

Hactenus arma Campanas Viperas oppreſſerunt; deinceps fortaſſe ingenijs feliciùs opprimemus. Hic igitur veſtris in anguibus veſtræ admoneor ſapientiæ, atque in ſerpentum ſpiris, & orbibus, encyclopediam omnem, doctrinarũ videlicet circulum mihi intueri licet. Sileantur iam incendia, vbi doctrinarũ fulgores intermicant; abeat Mars, illiuſque vices Mercurius ſubeat, qui ſeptem heroas ſuos iam pridem diſpoſuit, vt vobis proponeret.

Ac primo omnium caput, ac Princeps Capys Capuæ conditor ſit, cuius lumen animi, licet in huius architectatione Vrbis maximum præſeferat, tamen quis illum non dicat mentis præſtantiſſimæ, cum vnus ipſe Græcorum

inſidias, ac ficta vota cognouerit? vbi Troia cæcutijt vniuerſa, Capys oculatiſſimus extitit, nec falli potuit, vbi tota Aſia falſa eſt. Hic vnus Troianum equũ aut terebrandum cenſuit, aut inflammãdum; optimè enim Mineruæ ſimulata dona cognoſcebat pectus illud Mineruæ deditum, deuotum ſapientiæ.

A Capye Næuius popularis veſter occurrit magnũ Romanę poetices columen, quem prius Carthago militem, tùm Parnaſſus vatem ſenſit. Hic ex tubarum fremitu ad citharæ ſonitum deductus, antea triumphali laurea, tùm laurea donandus Apollinari. Illi gladius in ſtylum degenerauit, militaris arcus in lyricum; cum bellum prius gerere, poſtmodum canere doctus eſſet.

Thomas tertio hoc loco ſe profert, ex doctiſſimorum ſententia Campanus ciuis, digniori loco donandus, ſi tamen locus vllus tanto homine dignus videtur. Quam excelſum doctrinæ faſtigiũ, quam exaggeratum culmen ſapientiæ, Deus bone? Verùm ſat gymnaſia omnia, ſat academiæ, ſat roſtra, ſat illum omnium ora concelebrant. patiamini me de illius laudibus conticeſcere, ſatius enim videtur arte non vti, quam opus

arte

arte non aſſequi; vbi impares ſumus operi, fruſtra conamur.

Quarto loco Gregorius Nonus hoc nomine Pontifex Maximus mihi obuerſatur, cuius incunabulis Capuā natura donauit. altiſſimos hic honoris gradus conſequutus, altiſſimos ſapientiæ, vbique, & Chriſtianæ, & literariæ Reipubl. princeps. adhuc illius iura, & doctiſſima decreta ſuſpicimus, Lycurgis, Numis, Platonibus in ferendis legibus præponendi. Gaudeant ſapientes, nunquam ſuis inſertum choris maiorem aſpicient.

A Gregorio oculus altius intendendus; quum ſummos illius honores conſecutus ſum, ſumma quæque perſcrutari didici. Mihi cogitatio trans ipſa ſidera mittenda eſt, vt Victorem Campanum ex Aſtronomis peritiſſimum inter ſidera peruestigem. Hic ergo ex Vrbis ſuæ ſtellatis campis oculos doctus ad ſtellas dirigere, eò cæteris clarior fuit, quò in illuſtriori campo verſatus eſt. Nobiliſſima tamen ars facere non potuit, quin in vno peccaret. Mortem Victor alijs ex ſiderum aſpectu prænunciare ſolitus eſt, ſibi nequijt; quippe quem ſcientia reddiderat immortalem.

Sexto verò loco quàm admirabilē ſe Ioannes Antonius Campanus exhibet, qui fortaſsè eò gratior Apollini fuit, quò ſimilior, quippe armentarius. hic igitur pedum, ac paſtoricium habitum dedignatus, omnibus totum ſe tradidit diſciplinis, in quibus eò illuſtrior euaſit, quò genere obſcurior. Quis in viliſſimo homine tàm nobile ingenium non admiretur? Sed obſcuritatem omnem, ac tenebras natalibus reliquit ſuis, quò mētem redderet clariorem, ſuoque à pecore membranas tantum arripuit, in quibus immenſa volumina exararet.

Nollem hic memoria excideret mea Petrus de Vineis; nollem extremo hoc loco tantum Capuæ lumen obrui caligine obliuionis. hic ſuæ ætatis facilè princeps literis habitus, ac prudentia, tandem (horreo dicere) oculis miſerabilem in modum captus eſt. Vbi cum Troiano Duce exclamandum eſſet:

Quis tàm crudeles optauit ſumere pœnas?
Cui tantum de te licuit?

O acies illas illuſtriſſimas, clariſſima lumina, quorum nutum metuebant populi, formidabant nationes, quæ nam inuida nox, quæ caligo vos opprimit? orbis ipſe ſe orbum intuitus eſt, quùm

ocu-

oculis tanti viri caruit; proque vnius luminibus omnium lumina plorauerunt.

Septem hos ſerpentium feliciſſimos oppreſſores Mercurius protulit, in quibus libenter exclamo, O nobiliſſimam Vrbem, ò doctrinarum omnium illuſtriſſimum lyceum. Tibi gymnaſia totius orbis Athenæ ipſæ concedent, cōcedet Græcia omnis, nec ſeptem ſapiẽtes ſuos proferet, vbi ſeptem tuos animaduertit; nec Solonem, Biantem, Pittacum, Cleobulum, Thaletem, Chilonē, ac Periandrum oſtentabit, dum tu Capyn, Næuium, Thomam, Gregorium, Victorem, Antonium, ac Petrum de Vineis euocas ex aduerſo. Hi etiam ruinas tuas iterum inſtaurabunt, Capua; vt enim ope Mercurij tractos nouimus lapides ad vrbes exſtruendas; ſi tamen verbis illis fides habenda eſt:

Mercuri, nam te facilis magiſtro
Mouit Amphion lapides canendo.

ita tua hæc ſapientum cohors deuota Mercurio, tractis ſui Numinis ope lapidibus euerſam Capuam excitabunt.

Habes iam ſerpentes tuas, Capua, maxima tuæ laudis argumenta; contẽplataque es hinc Capyis montem, illinc

ORATIONES
SACRÆ

Digitized by Google

SOCIETAS IESV VT PAR NOMINE IOSVE, ITA ET PRODIGIIS PAR.

ORATIO.

QVantum vel in mortalium pectore ſuos in principes adulatio potuit, vel in principibus ipſis audere viſa eſt nunquam regalibus animis non inſita

mihi præ cæteris Campanus Vittola occurrit, cum fortiſſimè ad Beneuentũ Græcas Conſtantij copias profligaret. Diremerat fluuius Calor exercitum, cuius propiorem ſibi partem aggreſſus Vittola, illam prorſus extinxit: flumen victoriæ curſum retardauit, ne reliquas etiam perderet, atque interfuſæ aquæ ne palma pubeſceret, ne triumphalis laurea pulcrius vireret, ſuis fluctibus (quis crederet) obſtiterunt. Hoſtis vel propè flumina, fulmine tamen campano correptus eſt, ſenſitque ab vndis illis perſolui lacrymas funeribus ſuis.

Ex Beneuentano flumine ad flumen veſtrum propero A A. Prodeat Matronarum generoſiſſimus chorus, quæ vt ex præcipiti Gallorum libidine euaderent, dederunt ſe præcipites in Vulturnum. Quid Clœliam Romana Ciuitas iactat, ecce tibi ſexcentas Clœlias, quæ vt ad gloriam enatent, libentiſſimè merguntur. Potuit hoſtis bona diripere, nõ honeſtatem; potuit Capuam incendere, non flammas libidinis ſatiare; potuit ſacra omnia violare, non corpora. Fluitabat victrix matrona pro ſtupratoris thalamo iam fluminis alueum, fluctus ſortita pro facibus Hymenæi. Memini,

vt eſt in fabulis, quum Daphnidem Apollo inſequeretur, nympham propè fluminis ripas lauri figuram ſubijſſe: at verò mulieres noſtras, quum ab inſanis amatoribus expetitæ ſe ſe deuoluunt in flumen, nonne lauream mereri dixerim triumphalem? maximo viris animi, mulieribus caſtimoniæ documento.

Te quoque inter Campanæ virtutis principes inſerã, Princeps nobiliſſime, Ioannes Baptiſta de Capua; ſenſi enim iam pridem me tacito quodam intuitu ab omnium oculis caſtigari, quod dum ita curioſè peruoluo vetera, & te penè præſentem prætercam. Sed euagata lõgè eſt oratio, vt in te conſideret: hac, atque illac erratico curſu fluxit, refluxitque, vt in tuo quaſi laudum pelago tota tandem effunderetur. Verũ in quæ primò ex tuis præclarè geſtis lumen intendam? quid potiſſimum dicendum ſuſcipiam in ea rerum multitudine, immenſitate? Primo igitur te mirati ſunt Salentini, quum tuo traditi eſſent imperio, quibus veteranis imperatoribus par etiam tyro viſus es, cum in vmbratili pugna cœpiſti circuire caſtra; redigere in ordinem militem; educere ex inſperato; immiſſum exercitum continere;

aciem vel ſinuare in cornua, vel cuneare in turbinem, vel in quadrati formam explicare; quà nodos peditum, quà turmas equitum diſponere; legiones, centurias, manipulos, cohortes inſtruere, bellum committere; conferre ſigna. ſed ponebas tunc rudimenta militiæ. Quid? quũ in Tranſrhenanos omnes irrueres; quum Belgium aggredereris; quum in Aduaticos, & Tungros irrumperes; quum Friſiam quateres; quum Batauiã inuaderes; quum Bruxellanas arces euerteres; quum Bredanis mœnibus potireris. Prætermitto fractos Gallos, fuſos Mantuanos, ac Tranſpadanos omnes tua vnius virtute ſuperatos. Quando te non inuictum admirati ſunt vel hoſtes, vel tui? Quando efficaciſſimi illi lacerti non exeruerunt vires ſuas? quãdo potentiſſima illa dextera maxima non agitauit, aggreſſa eſt, perfecit fortiſſime? Iam Belgæ, Hyperboreus populus, vniuerſi rebelli ceruice iugum ſubierunt; miranturque in plagis Aquiloni deuotis, in oris ventorum infeſtiſſimo ſacris, ventis ita ſecundis tuam victoriam velificatam, vt ad gloriæ portum appelleret feliciſſimè.

Iamque ſeptem excidijs tuis totidem

oppoſui, Capua, qui ruinas inſtauraret, ac fortaſſe gloriosiùs; gloria eſt enim cadere, & opprimi tenebris, vt explicētur hæc ſidera; vel occidere cum ſole, vt clariùs oriaris; vinci etiam laus eſt, vt indè ad proculcandos hoſtes eas vires comparemus; & victrix Parthorum fuga, quam inſequentium cædes, potiùs celebranda. Iure igitur iactas ſerpentes tuas, quarum venenis ſic liberata es, quarum morſus tu vindicaſti.

Hactenus arma Campanas Viperas oppreſſerunt; deinceps fortaſſe ingenijs feliciùs opprimemus. Hic igitur veſtris in anguibus veſtræ admoneor ſapientiæ, atque in ſerpentum ſpiris, & orbibus, encyclopediam omnem, doctrinarū videlicet circulum mihi intueri licet. Sileantur iam incendia, vbi doctrinarū fulgores intermicant; abeat Mars, illiuſque vices Mercurius ſubeat, qui ſeptem heroas ſuos iam pridem diſpoſuit, vt vobis proponeret.

Ac primo omnium caput, ac Princeps Capys Capuæ conditor ſit, cuius lumen animi, licet in huius architectatione Vrbis maximum præſeferat, tamen quis illum non dicat mentis præſtantiſſimæ, cum vnus ipſe Græcorum

inſidias, ac ficta vota cognouerit? vbi Troia cæcutijt vniuerſa, Capys oculatiſſimus extitit: nec falli potuit, vbi tota Aſia falſa eſt. Hic vnus Troianum equũ aut terebrandum cenſuit, aut inflammãdum; optimè enim Mineruæ ſimulata dona cognoſcebat pectus illud Mineruæ deditum, deuotum ſapientiæ.

A Capye Næuius popularis veſter occurrit magnũ Romanę poetices columen, quem prius Carthago militem, tùm Parnaſſus vatem ſenſit. Hic ex tubarum fremitu ad citharæ ſonitum deductus, antea triumphali laurea, tùm laurea donandus Apollinari. Illi gladius in ſtylum degenerauit, militaris arcus in lyricum; cum bellum prius gerere, poſtmodum canere doctus eſſet.

Thomas tertio hoc loco ſe profert, ex doctiſſimorum ſententia Campanus ciuis, digniori loco donandus, ſi tamen locus vllus tanto homine dignus videtur. Quam excelſum doctrinæ faſtigiũ, quam exaggeratum culmen ſapientiæ, Deus bone? Verùm ſat gymnaſia omnia, ſat academiæ, ſat roſtra, ſat illum omnium ora concelebrant. patiamini me de illius laudibus conticeſcere, ſatius enim videtur arte non vti, quam opus

arte

arte non aſſequi; vbi impares ſumus operi, fruſtra conamur.

Quarto loco Gregorius Nonus hoc nomine Pontifex Maximus mihi obuerſatur, cuius incunabulis Capuã natura donauit. altiſſimos hic honoris gradus conſequutus, altiſſimos ſapientiæ, vbique, & Chriſtianæ, & literariæ Reipubl. princeps. adhuc illius iura, & doctiſſima decreta ſuſpicimus, Lycurgis, Numis, Platonibus in ferendis legibus præponendi. Gaudeant ſapientes, nunquam ſuis inſertum choris maiorem aſpicient.

A Gregorio oculus altius intendendus; quum ſummos illius honores conſuitus ſum, ſumma quæque perſcrutari didici. Mihi cogitatio trans ipſa ſidera mittenda eſt, vt Victorem Campanum ex Aſtronomis peritiſſimum inter ſidera perueſtigem. Hic ergo ex Vrbis ſuæ ſtellatis campis oculos doctus ad ſtellas dirigere, eò cæteris clarior fuit, quò in illuſtriori campo verſatus eſt. Nobiliſſima tamen ars facere non potuit, quin in vno peccaret. Mortem Victor alijs ex ſiderum aſpectu prænunciare ſolitus eſt, ſibi nequijt; quippe quem ſcientia reddiderat immortalem.

Sexto verò loco quàm admirabilē ſe Ioannes Antonius Campanus exhibet, qui fortaſsè eò gratior Apollini fuit, quò ſimilior, quippe armentarius. hic igitur pedum, ac paſtoricium habitum, dedignatus; omnibus totum ſe tradidit diſciplinis, in quibus eò illuſtrior euaſit, quò genere obſcurior. Quis in viliſſimo homine tàm nobile ingenium non admiretur? Sed obſcuritatem omnem, ac tenebras natalibus reliquit ſuis, quò mētem redderet clariorem, ſuoque à pecore membranas tantum arripuit, in quibus immenſa volumina exararet.

Nollem hic memoria excideret mea Petrus de Vineis; nollem extremo hoc loco tantum Capuæ lumen obrui caligine obliuionis. hic ſuæ ætatis facilè princeps literis habitus, ac prudentia, tandem (horreo dicere) oculis miſerabilem in modum captus eſt. Vbi cum Troiano Duce exclamandum eſſet:

Quis tàm crudeles optauit ſumere pœnas;
Cui tantum de te licuit?

O acies illas illuſtriſſimas, clariſſima lumina, quorum nutum metuebant populi, formidabant nationes, quæ nam inuida nox, quæ caligo vos opprimit? orbis ipſe ſe orbum intuitus eſt, quùm

oculis tanti viri caruit; proque vnius luminibus omnium lumina plorauerunt.

Septem hos ſerpentium feliciſſimos oppreſſores Mercurius protulit, in quibus libenter exclamo. O nobiliſſimam Vrbem, ò doctrinarum omnium illuſtriſſimum lyceum. Tibi gymnaſia totius orbis Athenæ ipſæ concedent, cōcedet Græcia omnis, nec ſeptem ſapiētes ſuos proferet, vbi ſeptem tuos animaduertit; nec Solonem, Biantem, Pittacum, Cleobulum, Thaletem, Chilonē, ac Periandrum oſtentabit, dum tu Capyn, Næuium, Thomam, Gregorium, Victorem, Antonium, ac Petrum de Vineis euocas ex aduerſo. Hi etiam ruinas tuas iterum inſtaurabunt, Capua; vt enim ope Mercurij tractos nouimus lapides ad vrbes exſtruendas; ſi tamen verbis illis fides habenda eſt:

Mercuri, nam te facilis magiſtro
Mouit Amphion lapides canendo.

ita tua hæc ſapientum cohors deuota Mercurio, tractis ſui Numinis ope lapidibus euerſam Capuam excitabunt.

Habes iam ſerpentes tuas, Capua, maxima tuæ laudis argumenta; contēplataque es hinc Capyis mentem, illinc

Perollæ animum, Nęuij poeticam vndam, ac Vibij virus; ſolis Aquinatis iubar, ac Iubellium: Romam vel à Gregorio legibus conſtitutam; vel euerſam Campanæ iuuentutis ardoribus: Victorem, ac Victolam, huius de cæleſtibus ignibus ſapientiam, illius præclara facinora apud Calorem: viliſſimum Ioannis Antonij Campani orientem; Matronarum occaſum nobiliſſimum in Vulturno: Petri de Vineis cæcitatem, atque oculatiſſimum Principem veſtrum Ioãnem Baptiſtam de Capua. Septem etiam excidia, ſeptem caſus tuos, ſeptẽ potius æui melioris initia appellabo. Septies igitur cecidiſti, vt ætatis humanæ pericula imitareris, quæ ſeptimo quoque anno (ſi tamen Chaldæorum climacteras vim habere vllam putamus) donec ſeptenarium ſuũ ſepties peragant, mortales infeſtant, quæ vbi tranſacta ſint, ætatem feliciſſimam auſpicamur; quod de te etiam affirmare licet, Capua, poſtquam ἑπτάς hæc periculorum expleta eſt: quò ſpectat fortaſſe Auſonij carmen de Capua, qui cum illius caſum commemoraſſet, ſubdit,

Octauumque locum nunc illa tuetur.

quaſi diceret cum poſt ſeptem excidia

ſepties

ſepties de antiqua maieſtate deturbata eſſet, illam octauo tandem loco antiquæ glorię reſtitutum iri:

Octauumque locum nunc illa tuetur.

Fruere igitur felicitate tua, Capua; exprome antiqua decora iam nouata, iam rediuiua, proſequaturque maiorũ gloriam poſteritas glorioſior. ipſe interim ſermonem abrumpam, & quamuis Campanæ laudes finem ignorent, vt etiã complicati Serpentium circuli fine omninò deſtituuntur; tamen ad finem propero, ac portum arripio, ſi non ſeptemtrionum ductu, certè ſeptem θηρίων videlicet Viperarum. Dixi.

ORATIONES
SACRÆ

Digitized by Google

SOCIETAS

IESV

VT PAR NOMINE

IOSVE,

ITA ET PRODIGIIS PAR.

ORATIO.

QVantum vel in mortalium pectore ſuos in principes adulatio potuit, vel in principibus ipſis audere viſa eſt nunquam regalibus animis non inſitā

 âm.

ambitio : tantum in noſtra familia cognominanda ſuperiore ſeculó Ignatij pietas elaborauit. Auguſtorum, Cæſarumque cognomina, Auguſta Sebaſte: Numinum Iouius Diocletianus, Maximianus Herculeus mentiri voluerunt. Nobis dulciſſimi Numinis nomen referre conſilium fuit. Quò illos aut fauor, aut faſtus vel ſordidè rapuit, vel ſuperbè, eò nos minore iactantia, maiori laude deduxit obſequium.

Verum quod noſtra familia nomen expreſſit, illud non vnus, aut alter, ſed duces, principes, populi pari religione, felici conſilio ſæpius expreſſerunt; quaſi cum ſuauiſſimum Ieſu nomē mellitum prorſus, ac nectareum omnino ſit, ſpecioſiſſimi floris inſtar pubeſcere videatur; vt de Earini nomine ambitioſius poeta iactabat,

Mart. l. 9. ep. 12. *Nomen cum violis, roſiſque natum.*

ac propterea illius dulciſſimum nectar auidiſſimè veluti libaturæ apum æmulę circumuolare viſæ ſunt nationes. Ferūt enim noſtro Numine recens extincto eius aſſeclas à Ieſu feliciſſimum nomen principio mutuatos; ac ſi luculentiſſimo ſcriptori Serario credimus, noſtra etiam ætate è Bactrianis quidam li-

cet flexa in barbariem religione, tamen ſanctiſſimo hoc nomine religioſius cō-pellantur.

Verum ſi longius repetatur oratio, iam inde ab Hebrææ gentis exordio hoc nomine celebres illuſtriſſimos duces accepimus. Memoratur in primis lectiſſimæ gentis pijſſimus Imperator Ioſue à Ieſu cognominatus: ille Cananæis quà pellendis traditus, quà premendis, virtute, portentis iuxta prodigioſus, Hebræos in opulentiſſimam regionem immiſit; quaſi plaga mellis, vt perhibet, feraciſſima principi eſſet aperienda, qui in Ieſu nomine vel indicaret mel, vel præberet.

Verum diuinum nomen, quod ille futurum expreſſit, hoc præteritum expreſſit Ignatius. Heroes ambo militia pares, prodigijs fortaſſe nō impares. In animo igitur eſt, dum tam lecta panegyris ſuas hoc loco laudes mea videtur ab oratione repetere, quandoquidem eadē nominis æmulatio cum Ioſue noſtram familiam feliciter nexuit, Hebræi ducis gloriam in Ignatij prole cognoſcere. Quapropter quidquid ille vel terra, vel cælo molitus eſt, noſtræ Societatis viros molitos oſtendam. Nè quod tantum

in

in illo valuit, parum noſtra in familia nomen hoc poſſit: ac nè proles Ignatij, degener veluti nepos, à maioribus tantum nomina, non autem tradita ab iiſdē virtutum exempla retuliſſe videatur. Atque vt humilioꝛa ſectemur, humi cō-ſiſtam, mox tamen ſidera petiturus.

Principio igitur ob oculos ponite, quæſo vos Patres, quà celſiſſima Cananæorum iuga in planitiem leniter demittuntur, atque ad famoſum Sodomorum memoria lacum latiſſimè pertinēt; felicia inter palmeta, infeliciſſimis tamē auſpicijs poſitam Hiericunthem. Illa minimo quidem ambitu, ſed maximo robore; magnitudine exiguis par, firmitate ampliſſimis vrbibus maior; quippe demiſſa in immenſam altitudinem foſſa euectis in inſanam celſitudinem pinnis, fortiſſimis pontibus iungebatur; ac pōtes turribus, turres propugnaculis muniebat. Quadrato lapide ſurgebant turres, muri laterculis; plumbum illas, hos bitumen coagmentabat, egeſta ex Aſphaltite lacu materia, bitumen identidē eructante.

Portarum vero (vt ſacræ literæ memorant) prodigioſum robur erat, ſed ſine robore; nefas enim ducentibus Hieri-

ricunthinis fortiſſimam vrbem ligneis obicibus credi, æratis portæ lamnis, & ferreis vectibus ductæ ſunt.

In hanc molem montibus parem, quam nec celſiſſimo volatu aues aſſequerentur, quam fulmina ipſa, licet sũmis ſemper infenſa, vereri quodammodo videbantur, educit exercitum Ioſue. Ridebant interea incluſi muro Hiericunthini, inermem multitudinem tantũ audere; Ægyptiorum ſeruitia eos animos gerere; ac ſubinde per ludum, En, aiebant, prodigioſi bellatores reuocate in hæc mœnia, quæ iactatis, miracula: facili fortaſſe negotio licebit vobis alas induere hanc altitudinem ſuperaturis: Nuper ſicco pede maria traieciſtis, quin ſuſpenſo veſtigio tranſmittitis aerem, vt noſtris pinnis volucres pendeatis? liceat nouo portento nuper piſcibus ſimiles, hic aues ſimulare? Iam vero quid Cananæos fines ingreſſis primo Hierichus placuit? an fingendis lateribus nuper in Ægypto damnati, lateritias noſtras moles facile vobis putatis eſſe ceſſuras? Hic Ioſue tot conuiciis appetitus exercitu ſeptem diebus mœnia circumducto, ſeptima tandem luce inflari tubas, & cornua, pulſari maximo

ſtre-

ſtrepitu claſſica, populum denique vniuerſum ingenti clamore vociferari iubet. Atque illico diſcedere in ampliſſimas voragines terra, mœnia nutare, ruere, tumularis lapides alios alij præcipites premere: à lateribus lateres abſtrahi: ſaxis ſaxa collidi: pinnæ ſolo non æquari, ſed mergi: muri non ruere, ſed euaneſcere: momento cuncta difflari. Ruina tamen tanta nec videri ab obſeſſis potuit, nec timeri; etenim tam ſubita fuit, vt cerni nequiuerit, tam noua, & inopinata, vt timori futurorum anxietate ſemper ſolicito non dederit locū. Quàm leuia, vbi Cælites pugnant, munimenta humana ſunt! quàm cito diuino nutu humani roboris machinamenta franguntur! repente moles in præceps ruunt, & qui turres ad cælum tollunt, ambitione premuntur ſua. Terror ille Canançorum iam nullus eſt; propugnacula fortiſſima penitus corruerunt; firmiſſimas murorum pinnas clamor vnus omnino deleuit; ferrei vectes, & æneæ portæ, qua fracti, qua diſſolutæ, & pares montibus turres, non catapultis, non tonitru, non fulmine, ſed vocibus, ſed afflatibus deſederunt. Alibi voces inflāmare conſueuerunt ad pugnam, hic pugna-

gnauerunt. An cum mœnia funditus deturbauerint, æreas tubas ære ipſo firmiorem ſtrepitum edidiſſe credendum eſt? Viſus eſt Ioſue in feliciſſima, præclariſſimaque victoria id impetraſſe, quod ſuis in prodigijs fruſtra optare in more poſitum habet inſania poetarum, videlicet ferream vocem. Etenim quis vocem hanc ferream inficietur, quæ tã fortiter pugnauit, & expugnauit? ò feliciſſimas voces, quibus commendandis nulla vnquam voces vetuſtas habuit pares; præ his vocibus voces ſileat Amphion ſuas, licet hæ ſaxa traxerint, illæ deturbauerint: hæ vrbes extruxerint, illæ demolitæ ſint: hæ muros in cælum vſque ſuſtulerint, illæ funditus deuaſtauerint. Hæc Ioſue primo ſuæ gloriæ Hiericunthe proſtrata trophæa conſtituit, ſi tamen ſtatuẽdis trophæis ſaxa vlla Hiericunthis ruinæ ſuperfuerunt, extincta tamen ab vrbe famam nactus immortalem, per murorum ruinoſa cadauera in honorum Capitolium inuectus eſt.

Verum enimvero ab illuſtriſſima, glorioſiſſimi Imperatoris victoria oculos parumper auertite, noſtram familiã illi cognominem hodie contemplaturi;

ſtrepitu claſſica, populum denique vniuerſum ingenti clamore vociferari iubet. Atque illico diſcedere in ampliſſimas voragines terra, mœnia nutare, ruere, tumularis lapides alios alij præcipites premere: à lateribus lateres abſtrahi: ſaxis ſaxa collidi: pinnæ ſolo non æquari, ſed mergi: muri non ruere, ſed euaneſcere: momento cuncta difflari. Ruina tamen tanta nec videri ab obſeſſis potuit, nec timeri; etenim tam ſubita fuit, vt cerni nequiuerit, tam noua, & inopinata, vt timori futurorum anxietate ſemper ſolicito non dederit locũ. Quàm leuia, vbi Cælites pugnant, munimenta humana ſunt! quàm cito diuino nutu humani roboris machinamenta franguntur! repente moles in præceps ruunt; & qui turres ad cælum tollunt, ambitione premuntur ſua. Terror ille Cananæorum iam nullus eſt; propugnacula fortiſſima penitus corruerunt; firmiſſimas murorum pinnas clamor vnus omnino deleuit; ferrei vectes, & æneæ portæ, quà fracti, qua diſſolutæ, & pares montibus turres, non catapultis, non tonitru, non fulmine, ſed vocibus, ſed afflatibus deſederunt. Alibi voces inflámare conſueuerunt ad pugnam, hic pugna-

gnauerunt. An cum mœnia funditus deturbauerint, æreas tubas ære ipſo firmiorem ſtrepitum edidiſſe credendum eſt? Viſus eſt Ioſue in feliciſſima, præclariſſimaque victoria id impetraſſe, quod ſuis in prodigijs fruſtra optare in more poſitum habet inſania poetarum, videlicet ferream vocem. Etenim quis vocem hanc ferream inficietur, quæ tã fortiter pugnauit, & expugnauit? ò feliciſſimas voces, quibus commendandis nulla vnquam voces vetuſtas habuit pares; præ his vocibus voces ſileat Amphion ſuas, licet hæ ſaxa traxerint, illæ deturbauerint; hæ vrbes extruxerint, illæ demolitæ ſint: hæ muros in cælum vſque ſuſtulerint, illæ funditus deuaſtauerint. Hæc Ioſue primo ſuæ gloriæ Hiericunthe proſtrata trophæa conſtituit, ſi tamen ſtatuẽdis trophæis ſaxa vlla Hiericunthis ruinæ ſuperfuerunt, extincta tamen ab vrbe famam nactus immortalem, per murorum ruinoſa cadauera in honorum Capitolium inuectus eſt.

Verum enimvero ab illuſtriſſima glorioſiſſimi Imperatoris victoria oculos parumper auertite, noſtram familiã illi cognominem hodie contemplaturi;

quæ paria ſe daturam prodigia quà pietate, quà fortitudine profitetur.

Hic admiratione quiſpiam afficietur, cur tanto decori aſpiret Ignatius? ille quidem aliquando ſtipendia meruerit in bello, ideo nè nobiliſſimum ducem Ioſue ſimulabit? an turres ſonitu territas, deuolutas voce portas, & ſaxa afflatu colliſa iactabit, qui inter rudimenta militiæ ſaxi fragmine concuſſus decubuit? Quos igitur Ioſue lapides terret, eos Ignatius formidauit: quos ille deuoluit, vt vinceret, hic excepit in vulnera: ab ijs Ignatius proſtratus eſt, quos ille proſtrauit: Hebræum ducem ruina in altum gloriæ culmen euexit, deturbauit Ignatium: Ioſue aliena mœnia nutare vidit, hic ſua, ille ad gloriam, hic ad iacturam. Conſilium tamen eſt illuſtriſſimi facinoris gloriam noſtra cum familia communicare.

Ac principio ſaxo vtique contuſus Ignatius ſit; ſtatuo tamen vel ab illo, vel ab illius familia ſæpius territa ſaxa cecidiſſe. Teſtor hic noſtras, exteraſque regiones, teſtor Orientis, Occidentiſque prouincias, teſtor non homines modò, ſed inſulas, ſcopuloſque, qui noſtra voce concuſſi, tonitru noſtro labefactati ſunt.

Lu-

Luſtrate igitur parumper mentis oculis AA. nationes omnes, ac populos, quorū domos, vrbes, regna, heroum tuba noſtrorum, ne dicam virtus, afflixit. Te Perſici ſinus nobiliſſimum decus Armutiam imploro; te feritatis, ac barbariæ ſedem Tolum, quarum illa Berſei, hæc Xauerij pedibus ab imo ſinu ſuccuſſa eſt. Vix fortiſſimi heroes è nauigio pedem extulerant, vix illi veſtigium barbaras inter arenas impreſſerant; cum è veſtigio (mirum ſane!) rimæ primo, tum voragines aperiri; ſuccuti cūncta, tecta, muri, ſolidiſſimæ turres quati, ruptiſque compagibus ſaxa vel pendere dubia, vel cadentibus ſimilia, vel omnino tumulari. Eorum ne dicas aduentu veluti in choreas geſtientem lætitia exultare tellurem; an eorum aſpectu territam, ac pauore ſuccuſſam? O quanto ſternuntur ponderi, cum tantis viris terræ ſubijciuntur. Noui, noui PP. omē. impares illorum oneri ferendo nobiles Inſulæ ſunt. quòd tam facilè nutent, ignoſco. ſub illis Atlas ipſe quateretur, ac gemeret, quod magnifice de ſe prædicabat Alcides:

Nunquid impoſitum ſibi *Sene. in*
Non poterit Atlas ferre cum cælo Her- *oet.*
culem?

 ò pe-

ò pedes illos glorioſiſſimos ! ò illuſtriſſima veſtigia ! quæ cum velociſſime currerent, tam firmiter tamen humi figebantur, vt illam ab imo ſinu concuterent; qui greſſus à Berſeo, ac Xauerio dabantur ad gloriam, cum illorum gradus terræ ſuccuſſiones, ac motus inſequerentur? Pugnent alij manu, heroes noſtri vel pede vincunt. Nec tantum ſibi Poeticus ille Mars tribuat, quòd Thraciam ſuam equorum pedibus quatiat, cum de illo dicatur equitante,

Æne. *Gemit vltima pulſu*
12. *Thraca pedum.*

nunquam illi tantum accedet ex falſo, quantum gloriæ Heroibus noſtris ex vero. Hæc inter Indos noſtri ordinis lumina Franciſcus, & Gaſpar potuerũt: ſed tantum roboris, ac neruorum nati à parente, ab Ignatio ſcilicet mutuati sũt; cum in ſuarum ſimilitudinem virium procreentur à patribus liberi, ac prædurus à quercu ſurculus, mollis, ac flexilis à ſalicibus veniat; ac Leonis audaciã leonis catulus referat, dama damæ fugacitatem.

Libet igitur parem gloriam in Ignatio veſtigare. Principio inter paternæ domus anguſtias cum magna conſilia,

ma-

maximus vir inciperet agitare, dum ſe defixis humi genibus Deo conſtantiſſime deuouet, domum repente maximis motibus perhibent nutauiſſe. Quod Ignatij precibus pondus ineſſe putatis, quibus ſolum ipſum ab imis ſedibus cõmouetur? Iam vero in diſpari militia quam diſſimile fatũ expertus Ignatius! Etenim in martiali pugna ſaxo ipſe cõcuſſus eſt; concutit vero ſaxa, cum Deo incipit militare. Videlicet nutat illico terra, cum cælo figimur; & cum ex naufragio rapimur, terram aduertimus fluctuare. An Ignatio indicare Cælites voluerunt, res humanæ quam fragiles eſſent; cum tam facilè quaterentur? an paternis laribus iam iam fugientem Ignatium, parietes ipſi inſolito motu conſequi geſtiebant? an abeunte Ignatio ſaxa ſenſerunt, quam firmo præſidio ſpoliarentur? Interea dum ſaxa nutant, Ignatij conſilium immobile, & fixum eſt, & tam conſtans hic in propoſito, quam inſtabiles viſi ſunt lapides.

Miror tamen, Patres; cur tam diſpar Apollini Ignatius in ſuæ pietatis natalibus fuerit. Ferunt enim vagam, & inſtabilem Delum illo naſcente conſtitiſſe; dum vero hic cælo paritur, ædes

quatiuntur. Quidquid id ſit, ſplendore illum ſuperabit, cui videtur terræ ſuccuſſionibus cedere. Verum ò quanta ab hoc tremore terrarum orbi ſecuritas datur? qui labefactatis nutat compagibus paries, hic non vni robur afferet ciuitati. ruunt hic ſaxa, vt melioribus auſpicijs Ignatio duce in templa conſurgant. Tremor ille tuos humeros depoſcit Ignati nutantibus terris ſupponendos; tuam motus ille firmitatem implorat, vt labantem Orbem feliciter fulcias; ſeu ſaxi fragmine deuolutus fueris, ſeu ſaxa deuolueris, te Cælites in ſaxeos homines formandos, fingendoſque legunt.

Hinc intelligitur Patres iure optimo in ſuę laudis communionem à Ioſue ſocietatem noſtram vocari poſſe, atque eodem ſub nomine, eandem gloriam vtrinque ſplendeſcere, cum ædes vtrinque nutauerint, & ſaxa non impari motu deciderint.

Sed libet non vno, aut altero, ſed exemplo multiplici Ioſue laudes æmulari. Hoſius ſuperiore ſeculo, ampliſſimum nomen, Romana purpura nobilis princeps, in noſtram familiam Tridenti ſe familiariſſime inſinuauerat; quare

Var-

Varmiam Pruſiæ clariſſimum oppidũ petiturus,coercendis hęreticorum furoribus noſtros homines in Poloniam legare conſtituit. Plaude natorum gloriæ quacũque cæli parte nos deſpicis,Ignati? Plaudite veſtris laudibus,Patres, & maiorum illuſtriſſima facinora, paria quondam fortaſſe geſturi, lætis animis excipite. Chriſtophorus Strombelius cum lecta ſociorum manu opulentiſſimum regnum inuaſurus, per ampliſſimas Germanię regiones Roma dimittitur. Gemino ea tempeſtate omnis ferè Germania malo premebatur. Horrebãt peſte vrbes, niuibus campi, horrore iuxta pernicioſo; albebant cadauerum illæ cineribus,hi gelu,pruinaque;vtrinque nouæ cohorti parabatur exitium: ſub dio omnino rigebant;arſiſſent peſte ſub tectis,excluſi vrbibus,campis fugiẽtes,inter niues pallida mors, inter contagia certum ſepulchrum intendebatur. Sed mors vtrinque intentata fortiſſimos animos frangere nequiuit; nec illos aut tumulauit peſtis, aut gelu retardauit. Quò non aperitur via,cum Numine rapimur? quò ſeſe non infert animus,cum cęlo duce properat?cum diuino tegmine loricamur, quæ tela non

pellimus? Interea illorum nomen, & fama Sarmatiam omnem peruaſerat; rumor erat aduentare viros peſte infractos, ac niuibus; tot Annibales diceres alpinum gelu, ſed ſine aceto aperientes, tot Cæſares grandinem, ac totam hiemem immobili vertice ſuſtinentes. Quis ardor, aiebant, euntium eſt, apud quos Germaniæ rigor eſt nullus? quæ pectora, quos animos gerunt? cum inter niues ardeant, in peſte ſint immortales? quibus illos aut venenis obruemus, aut ignibus, cum venena temnere potuerint in peſte, ignes in niuibus, quibus nuper obduruerunt? Hoſtes interea in noſtrorum glacie gelidiſſimo pauore turbati conſilium tale meditantur. Armantur facibus, ſcalpros expediunt, impellunt catapultas, ac nequa noſtris hominibus ſuperet domus, domos omnes exturbant, atque humi ſuperbiſſima quæque tecta inſaniſſime deuoluunt. Ita nobiliſſima regio ſuorum manibus deuaſtatur. Videre erat AA. hunc ignem iacere, illum malleolos iaculari, hunc incendēdis domibus è ſyluis conuectare materiam, illum congeſtis ex ipſa domo nutrimentis auratas trabes, ac picturata laquearia in ignes immitere.

Ruebant altiſſimę turres ſuorum manu; quibus hoſtes ipſi peperciſſent; & quas vetuſtas, ac ſecula non ſuperaſſent, dominorum ira dies vna proſtrabat. Furebant inſania; furoribus ardebant, & cum hoſtes nulli hactenus acceſſiſſent, in ſe tantum ſæuiebant, & bacchabantur, ſibi ſepulchrum, vrbi rogum molientes, quē ſibi, quem vrbi noſtrorum manibus metuebant. Itá, ne noſtros admittant, ſuis ſe domibus excludunt hęretici, ac ne nobiſcum habitent, ſatius ducunt, vbi habitent, non habere. O fortunatiſſimos heroes, qui ad hoſtes expugnandos ipſorum hoſtium manu vti potuerunt? Ioſue ſonitum ad expugnandam Hiericũthem adhibuit, illis rumor vnus ſatis fuit, vt hoſtilia tecta proruerent; armorum ſtrepitu fortiſſima deuaſtauit mœnia Ioſue, illi florentiſſimas vrbes vno nomine deleuerunt; Ioſue tubis ingemuit, illi tubas inflauere, ſed tantum famæ, quæ cum tota Sarmatia noſtros aduentare diſſipaſſet, domus omnes illico deſederunt.

Quæ cum ita ſint, quis noſtra opera magnum Ioſue facinus inſtauratum inficietur? quis iure noſtræ familiæ Ioſue nomen tributum non arbitretur? cum

Hie-

Hiericunthis excidia ab illa toties expreſſa ſint.

Hactenus humiles veluti mergi, ac viles auiculæ humi volitauimus, nunc aquilas imitabimur ſidera ſcrutaturi: tenuere nos terrena certamina, nunc ad ſuperos rapimur, vt præſtantiora ſpectacula contemplemur. Agite iam ad aſtra properemus; ſi quid allatum eſt hactenus, magnum ſane fuit, ſi tamen magnum quippiam in minima humo; mox è ſolo, & è ſoli vilitate feremur in cælum, vt nobiliſſimo theatro ſpectatores aſſideamus. Præbete vos dexteram ſummi Cælites aſſurgenti, quorum in arcana curioſius lumen inſigimus.

Strata igitur Hiericunthe, maximum decus Hebræorum Ioſue cælum aggreſſus eſt. Qui tremefecerat muros, firmauit ſolem; quam lapidibus abſtulit firmitatem, hanc fugacibus aſtris inſeruit; illos proiecit, hæc clauo fixit; atque vt vtrinque victoriam reportaret, ſibi vtrinque diſſimilis fuit, ſaxa fugare viſus, aſtra ſiſtere.

Hiſtoria è ſacris petita literis illa eſt. Quini Reges principi Hieroſolymitano fauturi, arctiſſima Gabaonitas obſidione præcinxerãt. En quanta vis innocen-

centibus opprimendis armatur ? quæ copiæ contra imbellem multitudinem comparantur? Iam vineæ tectum militē admouerant muris: iam foſſa ſaxis, arboribus, ac rerum omnium aggeſtu, non vno loco æquata videbatur: iam vnæ, alteræque ſcalæ admotæ mœnibus audaciores militum plantas tranſmittebāt in pinnas. Cum lectiſſimam Hebræi exercitus manum properato, concitoque gradu feſtinare iubet Ioſue. Horum aſpectu cedunt hoſtes obſidione, ac ſe præcipites proturbant è muris. Excurrunt hàc illàc fortiſſimi Duces, & quadratum agmen hic equite, hic pedite componunt: alas fortioribus inſtruunt: tyrones cum veteranis confundunt: ſagittarios, ac funditores in exercitus frōte, impedimenta à tergo conſtituunt. Tum dato ſigno concurritur. ardent, & micant vbique mucrones, mox tamen eodem fœdaturi nitorem ſanguine, ſitim reſtincturi. Hinc pugnabat gloria, illinc deſperatio: hos diuina oracula in ſpem erigebant, addebat illis animos patrij ſoli caritas, fortunę, liberi, coniuges mox in prędam ceſſuræ victori; maxima vtrinque vi res gerebatur, ab his, vt ſedem occuparent Cælitum promiſſis

no-

nobilem,ab illis,ne loco cederent, quē ſemper inſederant. Verum primo impetu fuſi, diſſipatique Cananæi hoſtes, in fugam præcipites, ac palantes errabant; volitabat ouans, ac victor Hebręus,& quos timore fuderat,nunc ſiſtit gladio, tantumque parcebat, quantum rapiebat laſſitudo vincendi. O diem illū funeſtum hoſtibus, lætum Ioſue, & ad poſteritatis memoriam glorioſum! qui iam iam victor triumphabat, victus ab arce detruditur,quaſi à muris, quos obſederat, ruinæ tantum omina infeliciter cœpiſſet.

Interea offuſa repente caligine,maius malum in victos à cælo parabatur; ijs enim lapidibus grandinauit, vt maiorē cladem viſi ſint lapides intuliſſe, quam ferrum,vt videlicet cum hoc necem ferret,illi tumulum adornarent; cum hoſtes in victimas mactarentur, ferrum in cultros cederet, in aras lapides, quaſi tanta in victoria cælum Hebræo erigēdis trophæis moles excitaret. Ita Ioſue, qui nuper ad Hiericunthem lapides ſolo demerſerat, hic lapides euocauit è cælo; quæ turres illic bellum nubibus inferre videbantur, proturbauit, hic è nubibus elicit ſaxa hoſtes proturbaturus

rus; illic quæ fuerant impedimento victoriæ, ſaxa ceciderunt , decidunt hic auxilium latura victoribus. Sol interea in occaſum pronus fugienti militi ſpem aliquam deliteſcendi inter tenebras indicebat; cum ergo tam illuſtri victoriæ lux vna deeſſet, Ioſue ne ſibi nocte raperentur , quos gladio æternæ nocti damnabat, tonanti voce ſiſtere properantis curſum ſideris iuſſit.

Vtrum hìc miremur in primis tantũ auſum eſſe mortalem , an tantum potuiſſe? Hic primo parere didicit Sol , delectatus prorogari ſibivitam,vt mors hoſtibus inferretur . Videre igitur erat velociſſimas illas rotas, quaſi clauo ſuffixas,& præcipites cæleſtium lapſus orbium immobili catena firmatos. Geſtijt fortaſſe lux à perpetuo curſu aliquando conſiſtere, eòque præcipue,vt in orbis theatro nobiliſſimam Ioſue victoriam poſſet contemplari.contra verò doluere ſidera cælum non properare,ne palmam aſpicerent . lucis illinc repreſſus eſt currus ; vt triumphali vectus curru Ioſue conſpiceretur;ſed aſtra indoluere cum victorem comitari non poſſent, Stetit igitur Sol, cum hoſtis fugeret; & firmauerunt gradum ſidera,vt victi media

dia

dia in fuga conſiſterent Hebræorum gladio fixi. Ioſue interea clarus palma, clarior radijs, quos firmauit, cum nuper ad ſe ſuſpexiſſet, & Hiericunthis ruina, & lapidum iactu properare Cælites, hic cælum ſuſpicit conſtitiſſe, hoc, vt hoſtes oſtenderet, illi, vt obruerent: voce vſus vbique prodigioſa, ſeu clamore deuolueret ſaxa, ſeu iuſſu lucem inhiberet. Iam vero miratus eſt Sol ſegnes in curſu moras, & ſuos equos Euris velociores immobiles conſtitiſſe, vt fortiſſimum equitem in hoſtes incitarent; geſtijtque curſum abrumpere, vt inter Hebræorum victorias laurum ſereret Soli gratiſſimam. Clariſſimam hanc Ioſue palmam, quippe quam nox afflare non potuit, hunc triumphum, in quo non tam albis equis in capitolium inuectus eſt Ioſue, quã flammeis, quos inhibuerat, hanc victoriam, quam tempeſtas primo, tum ſolis radij, ac ſerenitas pepererunt, hanc gloriam, quam nulla vnquam natio, tempora nulla imitata ſunt, hanc noſtra familia ſæpiſſime retulit, non vno in ſole conſpicua, ſed in ſideribus, in planetis.

Ac principio antequam ſolem aggrediamur, aſtra ſectabimur: videlicet,

vt fulgentiſſimis facibus oculorum acies paulatim aſſueſcat, illam in minorum lumine aſtrorum figere incipiemus.

Reuocate in memoriam, Patres, noſtri Parentis nobiliſſimum feretrum, triumphali quolibet feretro illuſtrius, quod emota ſuis ſedibus aſtra diſtinxerunt, ac feliciſſimo lumine coronare viſa ſunt; quippe qui, cum viueret, inter ſidera ſemper verſatus eſt, mortuus etiam illis decorari debuit. Extincto Cæſare perhibent nouum in cælo ſidus coruſcaſſe, at extincto Ignatio maiore prodigio noua ſidera è cælo reuocantur in terras; vt inde conficeretur, quanta ſit cælum ſubeuntis Ignatij lux, qua ſidera ipſa fugantur. An humi verſari voluerunt aſtra, vt locum cedere viderentur Ignatio? an cælum terrarum orbi indicare voluit, quãtum decus amitteret, cuius iactura ſideribus eſſet reſarciẽda? an ab humo tantum virum emere cælũ voluit ſiderum pretio? Aſtrorum partem caudæ cuſpide rapuiſſe fertur Draco, ſed cum cælo deuolueretur; rapuit Ignatius, ſed cum immitteretur in cælũ. Sed licuerit illi cælũ ſideribus expoliare, cum tot ſidera immiſiſſet in cælum,

quot

quot mortales pepererat Deo. Agite iam, extincto Ignatio ſidera terras occupauerunt, vt poſteris indicarẽt, Loiolæ opera iam terras in cælum verſas.

Verum quid ſidera ſectamur, vbi Sol, vbi Luna nobis obſequitur? Rem referam licet in ſole, tamen obſcuram; noſtra enim modeſtia id tenebris premere voluit, quod Sol ipſe prodebat, rata præclariſſimum maiorum facinorum ſolem melius in vmbra taciturnitatis, quam in verborum luce coruſcaturum.

Cum ergo in Lutetiæ ſinu ex multis, vt ita dicam, elementis nobiliſſimi corporis inſtar noſtra familia exiſtere inciperet, media in Gallia binum fulguraſſe Solem luculentiſſimus auctor Gualterius memorat. Scilicet hoc Ioſue nomini debebatur, quem referre incipiebat Ignatius. Illi Sol conſtitit, Ignatio duplex Sol properauit; quod illi diuturnitas lucis fuit, hoc fuit noſtræ familiæ lucis magnitudo; Occidens illi non caligauit, huic Oriens illuſtrior fuit; ille fugauit noctem, hic diem duplicauit, atq; euentu fortaſſe illuſtriore, ſcilicet illic quinque tantum regibus cæſis, hìc ſubacto terrarum orbe propemodum vniuerſo.

O il-

O illuſtriſſimos noſtri Ordinis natales, cui in lucem prodeunti vitæ facem Sol geminus præbuit? An è gemino Sole alterum noſtrum Ordinem fuiſſe dixerim nuper exortum? an ne noſtro lumine cælum vinceretur, ſoles geminauit? an vt nobiliſſimum opus Superi intuerentur, geminum Solem, quaſi duo lumina adhibuerunt? ſed debuit duplex Sol noſtra cum familia fulgurare, cum illa duplicem orbem eſſet occupatura.

O quę terras caligo contexerat, cui non vnus Sol ſatis fuit! Vide, Ignati, quãtum tuæ prolis illuſtriſſimæ lumen ſit, quod aquilis præſtantius non ad vnius, ſed ad duplicis Solis radios firmatum eſt; vide qui gloriæ curſus tuæ familiæ ſit, cum non vtraque Solis domus adeatur, ſed Sol vterque, ſeu geminus. O quãtum tibi debet orbis, Ordo nobiliſſime, qui tua opera Sole altero auctus eſt? quantum tibi debet cælum, quod tuis in natalibus tanto decore ornari potuit?

Nec minora in Luna prodigia, vt mirum ſit, cum noſter Ordo noctis nihil habeat, adeò Lunæ fuiſſe familiarem. Nuper in Gallia Solem ad noſtri Ordinis natales geminatum vidimus, hic in Italia Lunam ſi nõ geminã intuebimur,

certe in duas partes fuiſſe diuiſam.

Quidquid id ſit, vtroque prodigio Ioſue prodigia vel referemus, vel ſuperabimus; cum ille vni imperauerit Soli, nobis ſidera omnia famulata ſint. Cum Bobadillæ opera extremæ plagam Italiæ noſtra familia iam iam eſſet occupatura, antequam nobile oppidum inſideret, vt intelligerent incolæ noſtram Societatem cælo delapſam, fixis in aſtra luminibus, partiri Lunam, atque eius in ſinu duos inter hemicyclos ſanctiſſimũ nomen IESVS inſcriptum animaduertunt.

Quò victricia ſigna nõ explicas, Ignati? hoc tantum tuæ gloriæ deerat, vt qui terram omnem peruaſeras, quaſi te terra non caperet, nomen etiam cælo deſcriberes. Iam vero cũ Lunam inuadas, atque huius fulgor nominis tecum ſit, à Sole radios non mutuaberis. Lunam inſideas licet, videlicet orbis tenebras fugaturus, ſed eo coruſcus lumine, vt nocti iam dies obſcurior incipiat inuidere. Nos verò à Luna, quam occupauimus, inter eius labores, ac defectus laborabimus ſemper, nunquam deficiemus.

Sed iam cũ in Lunã appulerim, ſi minus noctis, nocturni certe ſilẽtij, Patres, ad-

admoneor. Quapropter in velociſſimo ſidere conſiſtet oratio; ac licet in conſpectu Lunæ latrare clamoſius canes perhibeantur; equidem in Luna hac cōticeſcam. Cum Ioſue igitur nomine Ioſue gloriam terra, cæloque partam imitati ſumus. Hiericunthis ruinam crebris terræ ſuccuſſionibus, firmatum Solem, maximo in Aſtra, in Lunam, in Solem imperio, eòque glorioſius, quod noſtra familia multiplici prodigio non vnum Ioſue exprimere viſa ſit.

Cæterum non habuit Ignatius, quò nomen longius extenderet. Quidquid vincendum fuit, iam victum eſt; quid enim vel altius terra ſupereſt, vel cælo ſublimius? Quare conſiſtere noſtra virtus coacta eſt, quod locus vincendo defuerit. Dabit interea noſtro nomini terra carceres, cælum metas; illa tremoribus in curriculo gloriæ addet celeritatem, hoc natiuis luminibus in virtutis, ac laudum ſtadio par victori præbebit coronamentum. Dixi.

CÆLITVM

Ex Athenarum ſimilitudine in Societate I E S V cognominanda

CERTAMEN.

ORATIO.

REnaſcentis anni primordia, quæ Iani nomine, ac cædibus fædauit Antiquitas, hodie inter gemitus, ac ſuſpiria tenellum Numen duriſſimo vulnere ſuo nomini dedicat, PP.; ille odijs, ac furoribus comitatus, ſæuiſſimus præliorum fecialis, ac certaminum præſes, hunc ſibi diem vindicare ſolitus eſt; nunc Infanti ſacratur Deo, pacifico quidem, ſed qui bellicus videri poſſit, cum vulneretur: quæ Ianus inferebat exteris bella, naſcens Infans in ſe commit-

mittit, & quem Romanum Numen ab hoſtibus ſanguinem ; Bethleemiticus puer à ſe elicit recutitus. Verum enimverò ſiue in Iani portis,ſiue in dulciſſimi Numinis cruore verſemur ; illinc bella mortalibus inferuntur, hinc indicantur.Funeſtis igitur annum ominibus auſpicamur, inter certamina, cruoreſq; veris heu nimium timoribus ; quippe Hiſpania,Gallia , Germania; Italiaque mutuis cædibus crudeliſſimè perditis. Atqui vberius deplorent hęc alij.Equidem ab Athenęo , quod inſidemus, ab Infante, qui vulneratur,ad arma quidē reuocor,ſed maiora, ac certamina proſequar,non tamen hominum, ſed Deorum. Athenęum enim Athenarum memoriam excitat, in qua vrbe cognominanda præſtantiſſima Numina mutuis odijs,diſſidijſque diſtracta tumultuaſſe, perhibentur.Quare eam in mentem venio, noſtræ Familiæ nomen,quod nos ipſo cum Numine commune ſortiti ſumus,à bello etiam hodie repetendum. Cum enim Athenarum nomen inter Deorum certamina natum ſit,quid noſtrum Ordinem Athenis doctrina ſimillimum inter Cælitum certamina nomē ſibi non comparaſſe affirmabimus? Sta-

tuo igitur inter æterna Cælitum fœdera, aliqua, vt ita dicam, exorta diſſidia, vt ſuo quiſque nomine, ſpecioſiſſimam Loiolæ cohortem glorioſius appellaret. Superum igitur officia proſequar, in noſtro Ordine cognominando pugnantium, inter quorum amiciſſima certamina, eorum munera, noſtra decora deſcribentur. Sed maximè orationem meam IESVS occupabit, cui in Superum pugna ceſſit victoria, qui nos auguſtiſſimo nomine decorauit. Veſtrā interea gloriam attendite, PP., ac licet aures verecundiſſimæ ſuarum commemoratione laudum verberari quodammodo videantur, non patiar tamen inter ardores verecundiæ ſplendorem nominis caligare. Iam verò rem ipſam aggrediamur.

Debuit profectò inter Superum pugnam noſter Ordo nomen accipere, vt Athenas imitaretur, in quarum ſimilitudinem properabat; cum nouo ingeniorum prodigio tot Athenas fecerit, quot oppida inſederit; & feliciſſima Doctrinarum perennitate, Platonis Academias, Ariſtotelis Lycea, Zenonis porticus, vbique terrarum vel retuliſſe ſit viſus, vel ſuperaſſe. Agite iam quàm

benè

benè noſtra Societas cum Athenis conuenire dicenda eſt; cum à decem heroibus cōſtituta principio Pariſijs ſit, quot etiam Athenarum Tribus fuiſſe liquet à decem heroibus conſtitutas, eaſque à ſuis conditoribus Erecthridas, Aegidas, Pandionidas, Leontidas, Acamantidas, Oenidas, Cecropidas, Hippothontidas, Aiacidas, Anthiochidas appellatas. Cū ergo & diſciplinarum ſtudia, & Conditorum numerus idem noſtræ familiæ cum Athenis ſit, quid eandem Cælitum certamina in illa cognominanda fuiſſe inficiemur, quæ in nomine Athenis imponendo fuerunt?

Verum libet hic, quandoquidem in re dubia fortaſſe verſamur, altius aliquantò repetere orationem. Qua ex ampliſſimis finibus inter Peloponnesū, & Græciam, breuiore ſinu felicia aliquando noualia, nunc Ægeum mare deducitur, Græciæ lumen, & ornamentum, Athenæ ſurgebant, ſed hactenus nullo nomine, ac non Athenæ. illas ducto è duodecim pagis populo, Theſeus primò poſuerat: ſed Attica iactantia ſolutam nouo partu tellurem affirmat, atque inter labes, voragineſque camporum incolas inſolito fœtu prodijſſe

commemorat ſuos. Vidiſſes igitur hic emollito paulatim ſaxo, erumpere brachia: crura protendi: ſubſidere plantas: verticem eminere: illic, figulos ſimulante Natura, ſpirare glebas in corpus animatas: manus in articulos diſſecari: firmius adſtringi vniuerſæ moli ſuppoſitos pedes: explicari æqualiter genas: aures anfractibus implicari: venas fluere: oſſa conſiſtere. Inter hæc nouo miraculo antra parere videbantur, è quibus quaſi diuite penu diſrupta tellus, homines emittebat. Cimmerios ſuis è cauernis vel Puteolano in ſinu, vel Cimbrico erumpere crediſſes. Itaque quos cælo delapſos fingere melius debuerant, neſcio quo conſilio placuit è terra reuocare; vt generis claritatem arceſſerent, humi ſordibus implicati ſunt: & ne parentes oſtenderent, parentem adoptàuere tellurem; fortaſſe militum inſtar, quibus glorioſè ſordeſcit puluis in crinibus, è puluere ſe ſuſceptos mentiti ſunt, gemmas ſimulaturi, quibus claritas à luto deducitur, atque in puluere ſibi fulgurandum rati, vndè auri, argentique fulgor mortalibus petitur.

Iam verò nobilis Oppidi ſtructuram quatuor in angulos coijſſe, Sigonius

auctor

auctor eſt ; tum quatuor haſce partes æqua portione diuiſas, tria viarum diſcrimina diſſecabant ; inter ipſas denique vias triginta anfractus, atque angiportus immittebantur, videlicet vt quatuor angulis, totidem anni tempora, vijs menſes, minoribus verò viarum anfractibus anni dies deſcriberentur. Non ita in ſimilitudinem ſiderum, vitrum duxit Syracuſius Archimedes. Quis crederet quos terra nuper eduxerat, Solis curſum repentè ſimulaturos? tam facile ne, tam altè ſui penitus oblita ſe iactet ambitio? quid non audet humana mortalitas, ſiderum gloriam vel in puluere mentitura? Pulcherrimàm vrbem cæli æmulam de cælo Superi ſpeculati, mirati ſunt rudi adhuc ſeculo à ruſticis hominibus, quippe tellure genitis, tantū decoris extitiſſe; tum illam, quod in ſimilitudinem ſiderum ſurgeret, non indignam rati, quam Cælites incolerent, cui Cælitum nomen inderent, hac de re tamen non modica inter ſe contentione diſtracti ſunt. Pallas in primis, ac Neptunus tantum decus affectauerunt, vterque maximum nomen, ac Numen: hic fratre Ioue, illa eodem parente ſuperbior, igitur dirimendæ liti, ſe-
dan-

dando diſſidio vterque magnum quippiam & vrbis beneficio, & ſuæ gloriæ argumento moliri. Ergo in maxima Superum corona ad nouæ Vrbis mœnia par Cælitum conſiſtere.

Minerua haſtam prior intorquet, ſolumque proſcindit: nunquam felicius tellus diſrupta eſt, nunquam glorioſius. patuit diuino tantum lacerto ictum prodijſſe, vt felicitas ſereretur. Leniter igitur huc illuc cedente tellure, nouus ceſpes exiſtere, fruticantibus virgis, bicolori fronde, ſupernè viridi, cætera ſubalbicante: paulatimque ſurgentibus ramis, arbor adoleſcere, nodoſo, prauoque trunco, ſed odorata cedro præſtantior: inter frondes quà frondibus concolores, quà pleno rubore nigreſcentes, vel latebant baccæ, vel eminebant: modica plantæ viriditas offuſa, ac ſubindè cineri propior; tamen in cineres nunquam ſoluenda, & omninò immortalis; quippe quæ nec annos timeret, nec annorum intemperiem, non æſtiuo Soli ceſſura, non brumæ niuibus, cum annis, cum ætatibus viridi trunco, & æterna fronde perennatura. Nouo fœtu gaudebat tellus: ſyluæ lætabantur: atque illam plantæ cæteræ, Reginam veneraturæ,

turæ,altiſſimis collibus inſerebant; quá adorarent nemora:qua montes coronarentur: & frondem pacis magiſtram reueriti Aquilones, in quercus, ac pinos ſua bella conuerterent.

Hæc Pallas, tum contra Neptunus ſolum ærato tridente diffindit. Auctores ſunt, Equum hoc ictu prodijſſe, maculoſo pilo, promiſſo, nigroque crine, atque dextrum in latus effuſo, erecta ceruice, ſpumantibus buccis, fumantibus naribus, ignem diceres euomentibus, ſiquid ignis addere poterat aquarũ Numen, breui aure, niuali fronte, explicata vndatim cauda, pede altero diſcolorem, quo, cum ſiſteret, ſolum effoderet: cum incederet, penè non tangeret: ſic & loci, & ſui ſemper impatiens, fulgur oculis, nubes naribus, Euros pedibus præſeferebat; denique Neptuni manibus is equus eductus eſt, qui & tantum deceret Deum, & tanta contentione laborantem. Verum enim verò aſſerant hoc ſiqui velint, equidem ab illorum ſententia diſcedam hodie: quid enim marino Principi Equo commune? Equidem affirmauerim potius cũ Varrone, & Herodoto immenſam aquarũ perennitatem, quæ in pelagus paula-

tim excreuerit à Neptuno procreatam. Repentè igitur vno ex ictu multiplices ſcatebræ ſalierunt, ac veluti diſruptis aggeribus, fractiſque repagulis, vnum caput ſexcenta flumina exonerauit. Atque ea erupit aquarum immenſitas, vt parentem terram aſpernata, illam, qua gurgitibus merſerit, qua diſſecuerit fretis, qua Inſulas circumducta, rapuerit, deuinxeritque. Quam quidem niſi tellus Cherſoneſis ſubindè diuideret: niſi Iſthmorum duritie identidem frangeret: niſi natiuis cautibus, vel aggeribus manu factis vndique coerceret: niſi in montes aſſurgeret à pelago veluti fugitiua, iam arenarum limites præteruecto mari, fluctibus vniuerſa premeretur. Tum primo viſi ſunt diſtracti à populis populi, vrbes ab vrbibus: raptæ terrarũ amplexibus terræ: additi regionibus fines: regnis pulſi mortales, vt innatantia Cete, & immenſa monſtra haberent, vbi regnarent.

Plaudebat interim ſibi Neptunus graſſatorum inſtar, qui ab aliorum pernicie laudem aucupantur; ac ſummos fluctus velociſſime percurrens, aquam ſuis ſub pedibus, vel aſſurgere ludibundam vidit, vel deprimi obſequioſam.

Tum

Tum nouo regno noua nomina, nouas leges imponit.

Volitare vndique tempeſtates iubet, ſed has portibus parcere: aquas ſemper properare, ſed limites non præteruehi: ſemper fremere, ſed ſemper domari qua maximis cautibus, qua minutis arenulis: cohiberi ambitionem imperat: non appeti bello exteros, ſed quati ſuos; à quibus petitur, in eos ſæuire, cæteris ignoſcere: ſemper furere: cum nullus eſt hoſtis, in ſe ſe frangi. Aperit denique littora, portus claudit: altum amplificat, freta conſtringit: durat ſcopulos, arenas emollit: ſedat malacias, concitat æſtuaria: ſyrtes abſcondit, & cautes prodit; ac maximo tridente inter vndarum cumulos quaſi ſceptro decorus, ac ſolio, Deorum iudicia præſtolabatur. Obtrectarunt illi Cælites, quòd Tyrannos imitatus per aliorum ruinas iter ad felicitatem ſibi feciſſet; atque vt ſibi compararet imperium, terram obruiſſet. Quare pelagus ſuis cum tempeſtatibus, Neptunum ſuo cum Regno deteſtati litem oliuæ adiudicauerunt. Hic Minerua victrix; triumphali pompa vrbem ingreſſa, vt nobiliſſimum oppidum dedicaret, illi nomē indidit ſuum, & Athenas appellauit.

Lon-

Digitized by Google

Longius fortaſſe peregrinati ſumus, vt domi conſiſteremus, ſed hæc haurire placuit è fabulis, vt noſtræ familiæ decora ſcrutaremur.

E Palladis igitur, ac Neptuni certamine noſtri Ordinis triumphos accipite. Iam ſaxi fragmine è muro Loiola deturbatus, nouæ tamen vrbi ſtatuendæ legebatur à Deo. Vrbem Societatem noſtram appello, Athenarum æmulam, ſed quæ ſuo ambitu orbem complexa ſit vniuerſum. Tantæ molis ſpecie Cælites delectati, vt eam ſibi quiſque vindicaret, vt ei ſuum nomen inſcriberent, inter ſe pugnare cœperunt, ac veluti candidati petitores, Ignatium ſinguli nouo prodigio, propè dixerim, prenſare videbantur; quare ſingularibus illum officijs ſibi quiſque demerere conſtituit. Omnium officia Petrus occupauit, languenti primùm Ignatio medelam allaturus. Videte Patres qua dignitate, qua gloria noſtra Societas ſit, pro qua vel certant Superi, vel videntur decertare. Iacebat fracto crure nobiliſſimus miles; ictu nuper ardente concuſſus, nunc febris ardoribus æſtuans: macies membra, & pallidæ mortis nuncius pallor os occupauerat, huc tandem tot bellicæ laudes

des reciderant: hoc fulmine tot palmæ, tot immortales laurus exarſerant. O fruſtra ſuſcepti labores! ò nullæ vigiliæ! ò bellice puluis, quàm leui aura diffunderis! Ergo nè deiectus humi procumbat Ignatius, cæſus lapide, qui lapides fortitudine, ac conſtantia ſuperauerat? Ita nè ſtrenuiſſimum quemque Mars deijcit,& qui ferro tàm validè militant, plumbo ſuperantur? tam clarus ſanguis tàm vilis ſit? tàm nobile nomen tàm facilè prematur? & qui fugientes firmauerat ſuos, qui loco nunquam ceſſerat, pedibus figi queat? Alcides noſter tàm ſubitò decidat, & qui orbē fulturus eſt, lapidis pondere procumbat? tàm benè pugnauerant manus, tamen pedes tam malè plectuntur. An quod capiti nequiuerat vulnus infligere Mars, detorſit in plantas? ne deſpondeas tamen animis, maxime Miles, quòd pedibus captus ſis; etenim vt in cælum properes, quo vocaris, opus non eſt pedibus, alas indue volaturus. Sed mirum, qui ſua in arce ceciderat, cælum poterit expugnare; præda ipſe hoſtium, prædatus eſt Cælites; memorant enim raptum è ſideribus Petrum afflicto militi præſentiſſimum affuiſſe; ac iure optimo hic

vnus

vnus è Diuis ex crure laboranti Ignatio adeſſe debuerat, qui ſua inter prodigia numerat primum claudo greſſus firmiſſimè reſtitutos.

O feliciſſima vulnera, quę tantis manibus tractata ſunt! iuuat decubuiſſe, vt à tanto viro medelam acciperet. Ita Petrus beneficijs deuinciebat Ignatiũ, vt quondam fortiſſimæ illius ſcboli Petri nomen affigeretur. Sed parce, Illuſtriſſime Cælitum Princeps, parce tandem nobiliſſimæ ambitioni, nobilior Matrona te loco mouet. Magna Numinis parens, Auguſta Cælitum Virgo, Petri beneficia, beneficijs maioribus penè deleuit. Alcides hic ab Amazone victus eſt. Solari tamen, Petre, iacturam potes, cum ab illa ſupereris, à qua vinci ambitio eſt.

Auguſtiſſima igitur Heroina cæleſte pignus dulciſſimè complexa, languentẽ Ignatium poſt Petrum adiuit. Quo gaudio perfuſus hic æger? quo abreptus æſtu dulcedinis? quo beatitatis pelago merſus ſit? nefas mihi eſt, vel noſſe, vel loqui. Mortali, ſpectaculum obtigit ſupra mortalitatem. Parietes ipſos sãctiſſimo lumine circumfuſos, ac cælo beatiores: vel tantę anguſtiores maieſtati,

vel

vel impares gaudijs, aut rimas duxiſſe, aut diſruptos omninò crediderim. Nitebant omnia, vel potius ardebant amoribus, quos fronte, quos ore, quos oculis maximè Diua iaculabatur. Vos ego appello, Cælites, ſpectaculi conſcios: vos ego, muti parietes, ac tecta feliciſſima: vos ego, lapides, ſiliceſque beatitatis admiratores, teſtes gaudiorum. O! tantũ ſpectaculum conſtat, æger beatiſſime, paruo. hoc non languore, ſed morte emi poterat. Equidem ſuos inter dolores Ignatium ita identidem exclamaſſe crediderim: Victus hoſtili manu cecidi nuper, ſed viciſſe mihi videor, cum in hanc prædam offenderim. Saluete dulciſſima ſaxa, quæ crura fregiſtis, vt brachia bearentur amorem amplexura; nuper in prælio, fulmine, ac tonitru cõcuti viſus, nunc Tonantem video, Tonante fruor. Infans ſuauiſſime, & Infanti Diua ſimillima, ſæpe cadam, vt ſæpe vos videam, imò vt beari poſſim, identidem moriar. Exanimor, & cum ad vulnera infractus animus ſit, dulcedo me perimit. Quam ictus acerbitas mortem nequiuit, hanc ſuauitas intulit. Saluete fuſi cruores: ſalue nex proxima, tuque bellice puluis, ac Sol, qui tantum Solem

mihi peperiſtis. Inter hæc hæſit lingua, cor euolauit, fruendo promptior, quã loquendo. Quare in Diuam oculus primò, tum impetus, & corpus inhabile rapiebatur; lumen radiorum patiens, impatiens pectus ardoris: intuebatur vt magis arderet, cum ardores ferre non poſſet. O lumina, ò ſidera, ò vultus, ò beatitas. Oculus vnum habebat in votis videre, perire: vnum habebat pectus ardere, deficere. Qui flores in genis! quę maieſtas in fronte! qui Soles in oculis! quæ in ſupercilijs gloria! quod nectar in ore! qui fulgor in vultu! quæ diuinitas in inceſſu! Notabat hæc æger, an obſtupeſcebat? ardebant oculi, ſed ardore placidiſſimo: niuebant genæ, ſed flãmis non nociture: fulminabant ora, ſed beatiſſimo vulnere: ſed ad flammas, ad lumina cor in cineres ſoluebatur, mens offuſa cœcutiebat, vt amor vtrinque triumpharet. Erat in Ignatij conſpectu Cælitum voluptas, beatitas ſiderum, Diuorum venuſtas, ac Superum nectar. Siquid olet Seplaſia, ſiquid ſpirat Hybla, ſiquid floret Aurora, ſiquid coruſcat Sol, ſiquid Cælum beat, Ignatius ſimul, & vidit, & ſenſit. Quis tibi tunc animus, qui ſenſus, Ignati? aſpiceres? ſed ad radios

dios caligabas?amplectereris.ſed lacertos, ac brachia amor adſtrinxerat nexu validiore.in rapinam properares? ſed impetum maieſtatis reuerentia, & languor imparis animi continebat.

Age iam non minores in diuina Prole deliciæ:cor hac, an illac, properaret, ignarus;ambos cupiebat,cum nec alteri ſatis eſſet. Optabat, cum quid cuperet, non haberet;quęrebat,ſed quid peteret, ignorabat: quo magis ardebat, eò flagrãtiùs incendebatur,quas flammas excitabat oculis Mater, Filius ventilabat: vtrinque par venuſtas, par amor, & gratiæ pares,ſed impar animus tot,tantiſque delicijs.Mellitiſſima Mater,Puer nectareus erat: maximæ vtrinque blanditiæ,decor maximus,& inter mortales oculos ſpecies immortalis.Hęc pompa, hæ deliciæ, hæc maxima Virginis venuſtas fuit,cum Ignatium inuiſit: hæc excitauit gaudia, hac beatitate deliniuit,hoc ſpectaculo beauit, vt maximum virum alliceret, atque vt noſtræ Societatis nomen ſibi vindicaret.Ac profectò magna Numinis Parens nomẽ ab Ignatio impetrare potuiſſet, niſi ſanctiſſimi militis pectus vis maior labefactaſſet: Ergo cum dulciſſima parente filius cõ-

tendere viſus eſt, cuius officia vt omnino ſuperaret, cum illa ſemel Ignatium adijſſet, adire voluit ipſe vel millies. gradum ergo à ſuauiſſima genitrice ad filium faciamus; cuius beneficijs pro ſumma viri modeſtia vix aliqua tantum innotuerunt; ea tamen ſunt, quæ & ardentiſſimum Numinis in Ignatium amorem, & Ignatij promerita præſeferant; ex illis pauca libabimus noſtri nominis ornamento. Primo igitur illi in ipſo pietatis tyrocinio adhuc à militia ferociente, infantis in ſpeciem, inter Sacerdotum vlnas ſeſe videndum obtulit Deus. Eidem cum Turcica manu in Palæſtina contunderetur, ſe ſe peregrinanti comitem familiariter nexuit. Quid? quod inter exeſa mapalia, & cadentes parietinas Vindex, diſrupto repentè cælo, mortalibus oculis ſtetit. Ignatio Romam cum lecta ſociorum cohorte properanti, illi operam ſuam in Vrbe pollicitus, ſanctus Amor obuius fuiſſe perhibetur.

Velificabatur aliquando noſtræ familiæ conditor Venetijs in Palęſtinam, non palmas in Idume, ſed necem veſtigaturus, è maris fluctibus velificaturus in ſanguinem, vt è nauigio exiliret in

truncum,quo eius cor, eius vita pependerat. Adria minax alioqui ſinus,ac furens,tum diuino quodā conſilio æquor placidiſſime ſtrauerat nauiganti:& blādiores auræ ſanctiſſimo peregrino obſecundaturæ,nauigium circumuolabāt. Impellebatur nauis Ignatij magis deſiderijs,votiſque,quàm vento,dum non tàm vndæ remis,quàm cælum precibus feriebatur.Hìc inter nautas de Dalmatia,Italiaque ſermones immiſcebantur, quarum pulcherrima littora feliciter præteruecti ex alto proſpectabant. At Ignatius meliore ſpectaculo potitus, ac totus in cælo, in quod oculis, anhelitu, ſuſpirijs omninò rapiebatur. pelagi,cęlique tranquillitas nitidiſſimam cæli faciem aperiebat,quo voces, quo deſideria,quo cor identidem mittebatur.Interea dum inter maris vndas in lacrymas ipſe liqueſceret,& ſuauiſſima dulcedine illius amaritiem temperaret, plenior ventus, ac ſuauior vela impellere viſus eſt:aut Zephyros,aut Etheſias credidere nautæ. Ignatius afflari hanc à ſideribus auram animaduertit, quam cum amor verſicoloribus pennis velociſſime verberaret, felici lapſu delatus in nauim,in peregrini latere ſuauiſſime con-

 ſtitit.

ſtitit. Miratus Ignatius eſt à ſe illicò re-
pertum in naui illum, quem longa na-
uigatione quærebat, & cuius tantum
veſtigia ſcrutaretur in Palæſtina, eum-
dem ſibi adeſſe de cælo. O feliciſſimum
nauigium, quod mercibus tantis ditaba-
tur. Sileat aureum pondus Argolica
puppis, cum inter hæc tranſtra Deum
aſpicit nauigantem: onerata ſit illa arie-
tis vellere, hoc agno ornetur Deo. He-
roas illa vehat: hoc vnum Ignatium, &
heroes mille in Ignatio: rapta illa in cę-
lum ſit: hoc raptum Cęlo Numen exce-
pit. Tu verò, Ignati, in media nauiga-
tione ò quem portum tenuiſti! dum pe-
lagi præteruheheris amaritiem, quo ne-
ctare, qua dulcedine frueris! medijs in
aquis quibus ardoribus incaleſcis! inter
vndarum fragorem, ac ſtrepitum qua
gaudes requiete! inter tempeſtatum
denique inconſtantiam, quàm felici ni-
teris anchora! Nuper igneo percuſſus
globo in ſanctiſſimam Matrem, nunc
aqua vectus in ſuauiſſimum Filium offē-
diſti: qui fiat, vt æquè tibi cælum vel
vnda, vel ignis aperiat? amplectere tu
interea cæleſtem Amorem, amplectere,
& cura, ne facilè tibi labatur, nam inter
aquas repertus eſt.

Rue-

Ruebat interim nauis, ac proſperum curſum non è cælo, ſed à ſe precabatur, quam Cælites inſidebant:non timebat à tempeſtate periculum, cum Sol tantus inter vectores numeraretur:aperiebantur illi ſyrtes,ac breuia: cadebant Aquilones, ac ſiquis in alto fluctus aſſurgebat, ille tam digno pondere ſuperbire, videbatur: feliciſſimè ridebat supernè cælum, fugatiſque nubibus ſereniſſima ſiderum facies erat, vt Cælitum aſpectus ferri in Deum poſſet cum Ignatio nauigantem; videlicet vno ab Ignatio Diuis beatitas petebatur. Hoc ſpectaculo Ignatius tribus menſibus vſus eſt. tàmdiù quis crederet cum Deo mortalē agitauiſſe? tàm longè tracta nè ſint tàm læta conuiuia? tàm longè Sol ille beatiſſimus diem produxerit, vt tres ipſos menſes æquauerit? & inter hæc vel ad Numinis radios,vel ad Ignatij flammas non exarſerit. puppis? venti ſpirauerint?non conſtiterit nauis, vel admiratione defixa,vel gaudio? quis hìc ſenſus erat pelagi?quid admiſſi ſpectaculo ſcopuli,quid cautes agebant? E tam longa conſuetudine ita noſtri conditoris præcordia Numen inſedit, vt illud vnum ſaperet,loqueretur, appellaret,præte-

rea nihil: vndè factum putauerim, PP., vt ſuæ deinde familiæ familiariſſimum nomen apponeret. Sint igitur in Ignatium maxima Petri primo, tum Deiparæ officia: benignius in illū, quod tamen nō affirmauerim, effuſi ſint cæteri Cęlites: diuturnitate ſaltē temporis amabiliſſimum Numen cæteris præſtitit, ac longiſſima trium menſium conſuetudine Amoris diuini congreſſus Ignatium ita deuinxit, vt ille cæteros veluti oblitus in vno IESV conſtiterit.

Ita IESVS de cæteris Cælitibus *victor* noſtram familiam occupauit, vt in *illa* auguſtiſſimum nomen inſcriberet, quod in Deorum certamine Athenis vidimus contigiſſe à Minerua cognominatis: duo igitur in illis Neptunus, ac Pallas, tres in hac, Petrus primo, tum ſuauiſſima Parens, dulciſſima denique Soboles certauerunt. Illic tamen odijs, hìc beneficijs pugnatum eſt. plantas illic excitauit Pallas, Petrus hìc firmauit pedes, atque illius oleum hìc adhibere viſus eſt, dum vulnera medicaretur. Neptunus pelagus euocauit apud Athenas, in Ignatio diuina Proles, ac Genitrix amoris flammas felicius excitauerunt; licet in eo præcordiorum æſtu videri

deri potuerint etiam maria retuliſſe. Sed in hac Athenarum,& noſtræ familiæ contentione, libet Poetæ carmen adhibere:

Hæc tamen vt res eſt facta,ita ficta alia.
Etenim quantum illæ fingere potuerũt, tantum noſtra Societas è Cælitibus impetrauit. Athenas igitur noſtra familia retulit, ſi tamen retuliſſe dicenda eſt, quæ tot illas laudibus ſuperauit:& cum oleas illæ iactent, hæc felicius palmas attollat,de Athenis triumphatura. pelagus illæ referant, in quo naufragium vel laudes faciant, vel veritas patiatur: iactat hæc pelagus, in quo ſuo Numine potitus Ignatius eſt. Verum ſileantur Athenę,cum hìc dulciſſimum IESV nomen exaudiatur, quod ſine illarum olea meliora fœdera feriat, & pelagus referat,ſed ſuo nectare temperatum. Vos interim,PP., pudeat cum vnis Athenis in contentionem venire,cum quod prę-fertis nomen, huic terrarum Orbis ſe ſe ſubdiderit vniuerſus: Dixi.

IN

IN APOTHEOSI SS. IGNATII, ET FRANCISCI. ARA.

ORATIO.

VT ſtudioſiſſimæ Soboli glorioſiſſimam parē-tum memoriam aut indicarent, aut redderent, idus hodie Martiæ fauſtis ominibus illuxere, PP; quibus geſtientis inter Orbis quà vota, quà gaudia, Ignatium Loiolam, Franciſcum Xauerium inter Cælites numeratos cœpimus

mus

Digitized by Google

mus adorare. Detur mihi priuata noſtræ familiæ decora, publicam rei Chriſtianæ felicitatem debita quidem, ſed impari gratulatione complecti. Proſequar igitur manibus, oculis, clamoribus, votis, proſequar, inquam, & terræ plauſus, & cæli pompâ, officioſus illic actor, hic ſpectator curioſus; ne vel ingratus Parenti, ſi taceam, videri merito poſſim, vel inuidus triumphanti, ni gaudeã. Saluete vos interim gemina Sidera, ſaluete; cognataque Superis benignitate voces accipite, preces audite & mortalium, & natorum; dum lectis vndique lapidibus (licet hoc è ſcopulo maxime, quem inſidemus) pijſſimâ filiorũ dextera vobis ara conſtruitur. Etenim quid Cælitibus potiſſimum afferatur? hoc vno mortalitas, alioqui nulla, maxime potens eſt; cum hoc artificio Diuos, aut noſcat, aut faciat. Agite iam hoc maxime tempore paranda Cælitibus noſtris ara eſt, cum inteſtino igne eorum templa conflagrauerunt; vt ſi quid Vulcanus hauſit, hoc reddat ingenium. Vtinã patriæ Sirenes interea, quibus flammæ celeritas non conceſſit, vt extinguendis facibus aquas afferrent, in quibus agitare perhibentur; Sirenes inquam, (quod

Pla-

Platoni tributum legimus) dicentis linguam occuparent, vt ſaxa vocibus ducerent aras excitatura. Quoniam vero nouis ignibus eſſet ara cumulanda, vt odores, ac thura Diuis incenderentur; ſinite, PP:, hoc loco flammę parcat oratio mea proximi incendij memoria nimis inuiſæ, atque in ſaxo vno conſiſtat. Afferat quiſquis volet incendia: meis lapidibus flamma ſat eſt, quæ lapidum venis latet: cum enim facibus ita perniciofis vtamur, erit illis quaſi carceris loco, ſi lapidum gremio latere cogantur. Sed iam tollendus eſt malleus, cæloque ſudandum eſt.

Ac principio cum lapidis quondam impetu in arce Pompelonenſi noſtræ familiæ parens Ignatius proximo ſeculo decubuerit, nunc eidem cohoneſtando melioribus auſpicijs lapides accedũt officioſi; vt qui ſaxo ſtratus eſt humi, nunc ſaxo contra euehatur ad ſidera. Diſſiluit illic lapis, vt è pinnis militem deturbaret; fingetur in aram hìc, vt eundem è ſolo immittat ad Cælites. Vtrinque ſuccenſus eſt, ſed diſpari flamma, votoque diſſimili: ſulphureo illic igne exarſit, vt vulneraret; ardebit hic, vt nouum Indigetem felicius veneretur. Vt

igi-

igitur præteritæ feritatis memoria omnino deleatur, in Ignatij decus nouum lapides certamen inſtituunt, ſed officiorum: Etenim nulla non tellus lapidicinas exhaurit ſuas, vt feliciſſime in aram aſſurgat. Properare videntur huc Caryſtus, & Parus nitidiſſimo marmore nobiles, properare Africa nobilis maculoſo. Noſtris è venis celebriores cruſtæ ſecantur, ſecantur è peregrinis; & in picturæ ſimilitudinem ſaxeæ laminæ componuntur, vt ambitioſius in noſtrorum ara flammas attollant, quam in Regum tumulis cineres contegant; quaſi mortalium ſepulchra dedignati lapides, vt Cælitum natalitijs decorandis aſſurgant. Sed valeāt AA. glorioſiſſima quæque marmora, cum domeſticis lapidibus abundemus. Pudor eſt in eum luxum effundi, vt id vnum commendemus in lapide, quod longe petitus ſit. Quid? quod in tantam amplitudinem noſtra familia protendit imperium, vt ſinus omnes, ac terras latiſſime complectatur. Noſtræ gloriæ immenſitas fecit, vt nihil exterum, nihil peregrinum habeamus; cum enim nobis trans omnia maria fixæ ſint ſedes, quid dari poterit tranſmarinum? Parçatur ergo Liguſti-

cis,

cis, parcatur hodie Numidicis venis, diſcatque à noſtrorum nitore marmorum terra poſſe laudem lapidibus peti, ſed non à maculis. Iam vero ſcindantur noſtrorum viſcera montium, atque à natiuis, vt ita dicam, Atlãtibus, & Olympis, à montibus, inquam, cælo conterminis ea legantur fragmina, quæ Cælitibus paria ſint. O quas mihi venas aperit noſtra Societas! ò quas in ea lapidicinas intueor!

Notauit hoc proximo ſeculo luculentiſſimus autor, cum noſtræ familiæ decora ſcrutaretur; illius enim conſtantiam, ac fortitudinem admiratus illam fortiſſimum ſcopulum, ſaxum ingens, maximam rupem nuncupare ſolitus eſt. Rupem, inquam, aut pelagi fluctibus obuiam, aut Caucaſeis rigoribus occupatam, aut cæleſtibus telis oppoſitam; ſed quæ in Oceani tempeſtatibus naues firmaret ſuas, frangeret alienas: inter Alpinas hiemes iter hoſtibus intercluderet, muniret ſuos; in Cæli fragoribus fulmina exciperet, vel vt Tonantis è dextera innoxia caderent, vel vt illa iacularetur in inimicos. Rupem, inquam, quæ inter marinos æſtus vel retunderet vndas, vel mitigaret; inter hibernos

tur-

turbines, vel excuteret niues, vel permulceret; inter clangentes tonitrus immota perſiſteret, quod ſua opera nihil in terrarum orbe relictum ſit, quod ſit fulminandum; cum monſtra omnia vel ſtrauerit, vel abegerit.

Agite iam in ampliſſimi montis theatrum curioſius lumen intendite, ille terram omnem radicibus occupat, cum tamen toto cælo potiatur, in quod pertinet ſupercilio. Atlantem diceres ſuſtentando cælo ſuppoſitum, niſi ipſe Cęlitũ manu vndique fulciretur. Inter altiſſimas rupes nulla parat mortalibus præcipitia; inter æternas niues nunquam æterni ſolis radio non afflatur; ſeu nudis cautibus aſperetur, horrorem ſuſpicies non iniucundum, ſeu muſcoſo, herbidoque veſtitu molleſcat, cultu delectaberis non delicato. Videtur dorſo ſyluas alere; cauebis tamen ruſticum dicere. ſpecus aperit, latibula contegit, ſed inter illa nec feras, nec monſtra venaberis. Miraberis in duriſſimis cautibus molle, ac flexile ingenium, in nemoroſo ſupercilio vrbaniſſimos mores, in ſyluoſis receſſibus cultiſſima pomaria, in altiſſimo vertice placidos animos, demiſſoſque. Verum id vnum habet

ma-

maximè montani noſtra Societas,quod excelſa , quod magna eſt,ac celſiſſimo iugo quam longiſſime recedit à terra: id habet ſyluoſum maxime, quod nihil non roboris præſefert. Atqui has montis noſtri laudes ſectentur alij: equidem per horridiora vos ducam; quare & herbeſcentem illius amœnitatem, & inter innexos arborum ramos gratiſſima vmbracula præteruectus, in cautibus vnis affigar. Cum enim & de heroibus dicam,& ad heroes,pudet quippiam afferre non durum, & aſperum. E noſtro igitur monte, vt principio dicebam,ſaxa mihi tantummodo legenda ſunt, vt nouis Cælitibus Ignatio, Franciſcoque ara ſtatuatur. Ex hoc vertice aſtris contermino, cum iter ad Superos noſtris hominibus datum ſit; dabitur nunc ara Cæleſtibus;vt eodem è ſinu & labor petatur,& gloria. Iam vero nō abs re fuerit, antequam lapides in aram coagmētentur, vnde noſtris collibus lapides acceſſerint, veſtigare.

Ac principio luculentiſſimum virū prioris ſeculi Periclem, ac fulmen Hiſpaniæ Ioannem, quem à patriæ nomine indigitant Auilam,in memoriam reuocate, hic noſtræ familiæ gloriam adhuc

adhuc naſcentis, & eius magnitudinem (rarum decus) ipſo in ortu maximam admiratus, iactare ſolitus eſt immenſam ſaxi molem altiſſimi collis radicibus hærentem, ab Ignatio facili negotio gigãteis veluti lacertis in ſummo vertice cõſtitutam. Hoc argumẽto pijſſimus iuxta, ac prudentiſſimus vir & Ignatij vires, & noſtra decora explicare conatus eſt, vt nobis interea in hoc monte coagmẽtando ſaxa ſufficeret. Hic primo Siſyphos ſuos tellus habere viſa eſt, ſed religioſos, & pios, ac labore non irrito. Videre mihi videor, AA., ſaxi illius immẽſitatem in Mimantis, aut Enceladi noſtri conſpectu conſtitutam. Suppone, ſuppone, Ignati, illuſtriſſimos humeros oneri; quod ſaxum putas, cælum eſt. Aggredere lapidem dextera, vt eos artifici digito ex informi marmore vultus excludas, qui omnium amores, omnium oculos rapiant. Tuo è ſaxo lapides illi ſecandi ſunt, quibus Chriſtiani culminis muri conſurgant; ac tuo è monte lapis ille iaciendus eſt, qui ex Aſſyrij Principis ſomnio Dynaſtas omnes, ac Tyrannos euertat. Suppone humeros, Ignati, ſuppone oneri: repende hanc lapidibus gratiam, atque illos extolle, à quibus

olim deiectus es. Quod marmor intueris hoc tui Ordinis illuſtriſſimi fabrica eſt. Amplectere filiolam, neue rudem credas, & informem, ſit licet illa marmorea. O quot è tam nobili ſaxo Cælitum facies exiſtent aliquando! ſuperabis Deucalionis, ac Pyrrhæ ſaxa lapidibus tuis, cum non tam homines ex illis, quã Diuos excludas. Tu vero ò Romani Princeps imperij, ò ſumme terrarum orbis moderator, Petre, intuere lapides, quos tui nominis lapidibus fulciendis affert Ignatius. Tua regia, quæ toto terrarum orbe ruinoſæ veluti parietinæ, ductis vndique rimis, non tenui vitio, ſed in labem latiſſime diſſoluta, miſero vndique ſpectaculo pijs oculis eſt, hoc lapide vel reficietur, vel excitabitur. Excipe Ignatij ſobolem, Petre, tibi omnino deuotam, tuoque cognatam nomini, quippe ſaxeam; eam tamen, quæ ſuo in ſaxo grauis videatur, ſed qualibet velociſſime excurrat: informis, ac rudis, ſed quæ omnes erudiat: ſuo pondere præceps, ac decidua, ſed quæ ſummo faſtigio omnibus antecellat. habebit hoc in lapide nauis tua medio in pelago ſaburram, ne fluctuet; in littore columnas, ad quas retinaculis adhęreſcat.

Ce-

Cedat interea ſi quis in Chriſtianum nomen attollitur gigas; eſt nobiſcum non vnus Hebræus paſtor, qui rotet hos lapides funda. fruſtra lorica firmus, aut clypeo tutabitur pectus: in cotem lapis hic cedet, eam noſtro gladio daturus aciem, qua, quidquid opponitur, diffindatur. Armentur in Chriſtianam religionem nationes; iacientur enim fruſtra baliſtæ, tormenta fruſtra torquebũtur, cum adamantino robore ſaxum hoc arcis ambitum complectatur. Inſurgant in noſtram familiam aut principum irę, aut furiæ populorum: ſtruantur vel tecti cuniculis doli, vel palam ferro, ac facibus armata barbaries: mox pigebit hoſtes cum vno ſaxo pugnaſſe, in quo vel hebetetur hoſtilis acies; vel ſagittarios petituræ ſagittæ reſiliant; idque aſſequi ſe animaduertent, quod à rupibus turbo, quod à ſcopulis fluctus aſſequitur. Non magis denique inimicorum ictu mouebitur,

Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes. *Æne.6.*

Hos è Ioannis effato ſuo monti coagmentando Ignatius lapides contulit, ad quem Parentis gloriam imitatura illuſtriſſima Soboles non impari laude lapi-

des comportauit, vt fortiſſimos genitoris lacertos ſimili robore validiſſima proles exprimeret.

Huc igitur vel afflicta, vel fracta noſtrorum manu inanium Deorum ſimulacra ſua marmora contulerunt: huc vel euerſis toto terrarum orbe eorundem fanis, vel vero Numini toto orbe terrarum excitatis, lapides confluxere. Huc detulit lapides Franciſci Xauerij virtus, vel quos impreſſis humi pedibus excitato terræmotu concuſſit, vel quos elatis in cælum manibus ex aſtris reuocauit. Immiſit huc lapides ſuos Gaſpar Berzæus, ſeu quos puerorum manu Saracenorum ludibrio eorum delubris intulit; ſeu quos ingreſſus Armutiam ſuis pedibus tremefecit. Comportauit huc denique ſua marmora Occidens vniuerſus, qui noſtrorum opera, triginta vrbibus excitatis, frequentatus his lapidibus eſt. Comportauit Oriens, ſed noſtrorum ſanguine ſaxa non ſemel purpurata, cũ toties noſtros homines ſuis lapidationibus tumulauerit. Lapidum hic apparatus ab vtroque terrarum margine quæſitus, atque a præclariſſimis Noſtrorum facinoribus lectus, Societati noſtræ ampliſſimi montis faſtigium elaborauit;

vbi

vbi mirum, AA., ad molas,& ſaxa damnari nos,non ſupplicij loco, ſed gloriæ. affigi nos cautibus,alligari Caucaſo in Promethei ſimilitudinem, quem raptis è cælo facibus retuliſſe viſi ſumus, vt luteos, prope dixerim, homines felicius ex integro animaremus. Iure igitur affirmauit antiquitas virtutis iter per mõtis prærupta deduci;quando noſtrorum hominum virtus, vt iter ſibi ad ſidera ſterneret,& lapides,& montes laborioſe quidem, ſed glorioſe coagmentauit. Hactenus toto terrarum orbe comparati ſunt lapides.Caue tumulum putes:trophæum eſt. Sed melior lapidicina me reuocat.Rapior in Indiam non Margaritas tamen,& lapillos, ſed lapillis ſaxa prętantiora veſtigaturus.Rapior,AA., in Indiam. Liceat,quò pedem nequeo, eò ſaltem animos mittere. Liceat mihi ex ea regione ſaxa prædari, cuius terrã non datur attingere.

Inter Perſicum igitur, atque Erythræum ſinum in Meridianum Oceanũ nobiliſſima tellus excurrit, magnam partem ſterili campo, vt argento melius,atque auro vacaret;quaſi vbi cætera deſint,vna hac ſegete ſatis ferax. Ardentiſſimo Sole combuſta regio,ampliſ-

ſimo mari circumfuſa,inter vndas,flammaſque media,vtraſque temperatura. E cælo fulgurant ignes, è pelago albicant Margaritæ; hoc veluti pretio cæleſtia damna ſarciente Natura. Verum vbi vulgo diuitiæ pariuntur, accolæ nudi ſunt;vbi tantus candor in gemmis, nigreſcunt homines; an vt diſceremus diuitias petendas ab animo?petendam pulchritudinem,ſed non à colore?Quidquid id ſit,flagrantiſſima regio omnium animos accendere potuit; incolarum deformitas,ac nigerrima ſpecies potuit amores in omnibus excitare.

Eò Thomas primo conceſſit, in ardente plaga meliori flamma purpuraturus,breuique aſſertis Deo nationibus propemodum infinitis, iam iam cælum ſubiturus,pro cuius fide,ſub cuius ardoribus tantum ſudauerat:vt ſuæ fidei hæredes vel promitteret Indis, vel conſtitueret, immenſum lapidem longiſſime à littore in accolarum cōſpectu ſtatuit; affirmauitque,fore,vt aliquando,fractis arenarum repagulis,ad ſaxum illud appelleret mare,vt accolis indicaret pares Thomæ viros in Indiam ex vltimis terrarum finibus tum properare. Pelagus interea infidum omnibus,Sanctiſſimi viri

ri fidem fruſtrari paſſum non eſt : quare vndæ illæ,quæ cum cælum ipſum vidẽtur impetere,terra vna domari poſſunt; illa aquarum inſania , quæ tacto littore veluti reſipiſcit;fluctus ille,qui terram quatit ſemper,nunquam expugnat; qui in littora ſemper properat, vt in littore ſemper conſiſtat ; qui ſuis clamoribus arenarum iugum ſemper execratur, ſed illi ſemper ſubijcitur;tandem aliquando Thomæ famulaturus molliſſimo quidẽ, ſed acutiſſimo dente littoris catenas abrodere potuit;ac terra magna ex parte conſepulta ad lapidem properauit à Diuo ſignatum , cum primum Orientis oras noſtri homines tenuerunt. An naturæ limites mare perfregit, vt orbis limites noſtri heroes excederent in Indiã velificaturi ? an vt tantam animi magnitudinem caperet, ſeſe Oceanus ampliore ſinu laxauit ?

Nauigabat, A A., Noſtrorum virtus ea maria,quæ illis vel fecerat cælum, vel aperuerat;nauigabat, inquam, Romanæ religionis fines propagatura,cũ ſuos etiam fines maria ſuperauerunt . Debebantur hęc tamen tam magnis auſis auſpicia;cum enim Romani piſcatoris fides ferenda erat in Orientem;à quo

accipienda erant omina,niſi à mari? ò feliciſſimos fluctus, ò æſtus beatiſſimos, ò fortunatas pelagi tempeſtates; quibus in noſtrum decus, in Indorum ſalutem Oceanus æſtuauit. Fecimus interea nouo miraculo dulcia ſaxa, amabiles tempeſtates; fecimus ſerenitate fluctus præſtantiores; ac Noſtrorum opera præ vili marmore ſilet iam & Erythra lapillos, & Piſcaria margaritas. Præteruehatur interea ſuos fines Oceanus, vt noſtris retibus maior pateat & locus, & præda; ac demergat aqua tellurem Noemi Cataclyſmum imitatura, vt poſt tantam aquarum diluuiem Franciſcus Xauerius nouos homines ad auras educat; nec Mortales querantur rapi ſibi ab Oceano terras, quibus noſtra Societas felici iactura cælum incipit aperire. Hactenus aquarum immenſitas ab India mortales excluſerat, noſtra vero tēpeſtate, cum laxatur maxime pelagus, in Indiam properamus. an vt felicius excurreremus, ampliorem nobis mare campum aperuit? an Thomæ ſaxum Oceanus adijt, vt cautes haberet, ad quas alliſus magis exclamare poſſet, noſtros homines, ac Noſtrorum opem imploraturus?

Lapis hic igitur illuſtriſſimo oraculo celeber, qui ad ſe maria, ac tempeſtates accerſiuit, vt haberet pelagi rabies, vbi frangeretur; qui, vt noſtris hominibus portum aperiret in Indiam, ad ſe pelagus euocauit; ad quem properauit Oceanus, vt pie lamberet potiùs, quam vt crudeliter verberaret; hic, inquam, lapis noſtro monti præcipue conſtruendo parabitur. Liceat huc, vt ardentem arã excitemus Ignatio, ſaxum ab aqua reuocare. Liceat ab aduſtiſſima regione lapidem quidem legere, ſed aquæ conterminum. Etenim liquore illo, quo molliſſimo quidem ictu, ſed tamen validiſſimo marmora terebrari ſolent, dabitur nobis in lapidis huius fronte & noſtræ familiæ, & heroum decora noſtrorum feliciſſimo ductu deſcribere.

Poſt tantum lapidem quid afferam pretioſius? ſiſterem hic igitur, & in terminum orationi meæ hoc lapide abuterer, niſi mihi Oceani ſinus, & Indiæ nomen, quæ modo tam diu me glorioſiſſime tenuerunt, margaritas quidem indicarent, ſed ab Oceano non reuocatas, ac lapillos, ſed non Indicos. Sinite igitur extremo loco nobiliores lapidicinas aggrediar: ac Regum conſilio duci me pa-

tia-

tiamini, qui non ſcalpro, ſed ſceptro Ignatij lapides effoderunt, vt illos non molibus, non regijs, ſed monilibus, ſed coronis insererent. Ferunt enim Manreſanum Ignatij ſpecum ità religioſe à nationibus cultum, vt Margarita Auſtriaca Imperatorum neptis, ac ſoror, Auguſtiſſima Hiſpaniarum Regina inter illuſtriora Ceraunia, inter ardentiores pyropos, atque adamantes maiores, purioreſque, petitum eo ex antro lapidē ſeruare ſolita ſit.

Quis vnquam ros Oceani conchis exceptus tam belle concreuit in gemmas, vt primo fuſi ſuo pro Numine à Loiola ſudores informes, ac ruſticas cautes in gemmas animauerunt? tantum ne theſauri latebra illa condidit, cum excepit Ignatium? tantum ne vilis ille, incultus, horridus rupe in exeſa, ſcrupeoque gurguſtio valuit? quis crederet cultu tã paupere tot diuitias partás eſſe? Has Loiola gemmas, cũ prima melioris vitę rudimenta poneret, protulit; quos ergo in virtutis faſtigio conſtitutus adamantes eduxit? Lapis hic, PP., in montano noſtræ Societatis ſupercilio, poſt ſaxa Xauerij precibus pluuia, Berzæi pedibus trepida, poſt Orientis lapidationes,

poſt

poſt moles in Occidente conſtructas, poſt marmora denique Thomæ oraculo, conſepulta tellure, ab Oceanifluctibus tacta, lapis hic, inquam, noſtri montis verticem occupabit; è quo, vt Ignatio, Franciſcoque inter ſuperos adſcriptis par ara conſtituatur, ſaxa comparabuntur. Interea ſiquid rude, & veſtris auribus impar, & noſtris Cælitibus attuli, parcite; inter lapides verſatus ſum; non enim ea felicitate vti licuit, qua Demoſthenes vſus eſt, qui, lapillis in os inſertis, dentes, ac linguam ad eloquentiã informauit.

Cæterum alter Orator noſtram aram ignibus cumulabit; ego illi facem dicendo prætuli; ille vobis flammas accendet.

Dixi.

IN

IN APOTHEOSI SS. IGNATII, ET FRANCISCI.

IGNIS IN ARA.

ORATIO.

CVm in illuſtriſſimos aggeres modò artificioſè congeſti aram nouis cælitibus Ignatio, Frãciſcoque conſtruxerint lapides, vocor huc hodie, vt eidem aræ, vel ſpargendis odoribus, vel thuri cumulãdo flammas, petitis vndique nutrimẽtis, imponam. Verum quod in Parentes

pietas ; quod in Cælites religio præcipit,hoc hodie mens proxima clade acerbiſſimè funeſtata, & non impiè reſpuit, & non irreligiosè detrectat ; ne vel ad ignes modo ſuccenſos crudeliter exultare, vel ignes nuper extinctos nefariè iterum excitare videatur. hæret igitur animus,atque obrigeſcit, neque ab hoc igne impetrare poteſt opus, vt ferueat. Verſatur enim ob oculos acerbiſſima illa nox, quæ vt illuſtriores noſtras calamitates redderet, ſuas tenebras diſcuſſit incendio. Funeſtiſſimam Troiæ noctem retulit noſtra nox, quæ vt impunè flammas afferret, ſi nō Troianorū conuiuia, bacchanalia certè conſequi voluit, & vt flammæ pares vtrinque fulgurarent,fortaſsè nec Sinone caruimus, qui flammas ventilaret. Quicquid id ſit, operæ pretium fuerit Achillem hic ſimulari,cuius haſta perhibetur, & intuliſſe vulnera, & opem vulneribus attuliſſe;quapropter quas ruinas ignis intulit,ignis etiam fortaſsè reſtituet; & quas hoſtilis flamma, vel turpauit aras,vel deturbauit, has noſtra opera accenſæ faces illuſtrabunt,excitabūtque. Veſtra igitur pace,ſanctiſſimi Parētes,& Chriſtiani orbis nobiliſſima lumina, Ignati,

Fran-

Franciſce, flammas officiosè comparamus. Detur hoc ſiderum ſtudio, nihil enim habet noſtra mortalitas vel cælo ſimilius, vel propinquius cælo, quam ignis ſit; hic enim vel veſtra accendit ſidera, vel à ſideribus veſtris accenditur: hic elementa omnia faſtigio ſupergreſſus, aſtriſque finitimus, Cælo potitur; quare patiamini ſanctiſſimi Cælites ab igne vos coli, cum nihil igne cæleſtius hic oriatur: patiamini petiti nuper flãma, à flamma vos decorari; nuper vobiſcum pugnauit ignis, hic vincitur, & in triumphi ſpeciem vobis ducitur catenatus. noſtra interim lingua hoc in igne verſabitur, vt Pindari iuſſa veluti executura, ad incudem incipiat fabricari. Cæterùm licet hoſtiliter in vos flammæ nuper accenſæ ſint, à noſtra certè flamma nihil metuendum, quæ pectoris ardore, quæ cordis incendio tantum inflammatur. Sed iam quaſi Pharus aliqua orationi meæ fax iſta prælucet. Habuiſtis in præterita oratione ſaxa, quibus nauis in littore adſtringeretur, in hac habebitis flammas, quibus ad littora properemus.

Verum vti nuper in ara noſtris Cælitibus excitanda ambitioſius lapides certaue-

tauerunt,ita ſyluas, & arbores in contentionem veniſſe crediderim,vt eiuſdē illuſtriſſimis aræ flammis nutrimenta ſufficerent. Illæ poſthabito frondium decore, ac florum pompa,ſecures vltro ſubituræ,ſtipites, ramoſque fortaſsè deponunt, vt glorioſius accendantur;cūque ſolis radio euocentur ad ſidera, & ingrato foliorum obtentu Solem, parētemque lucem identidem rapiant, natiuam hic vmbram exoſæ,in ignes, atque in ſplendorem abiturę ſuccendi geſtiūt, quaſi flammas Ignatij,quaſi Xauerij faces Solis radijs potiores putent. Properat huc igitur loquaci quercu Dodona nobilis,properat nobile pretio nemus Heſperium;hoc aureis pomis,illa aurea quondam eloquentia Heroibus memorata. Verùm nec alterius illinc facundia, neque hinc alterius diuitiæ facundia potiores,aut ſuadebit,aut ement,vt ardeant; quando ad certamen euocatæ huc præſtantiores ſyluæ contendunt, quæ vel noſtro labore ſucciſæ, vel noſtris ſudoribus altæ ſunt, quarum feras, vel noſtra vis expulit,vel diligentia mitigauit;inter quarum latibula lucem accendit, inter quarum vmbracula Cęlum aperuit noſtra Societas. Mittit huc pi-

nus

nus ſuas Britannica Caledonia, in cuius ſinu efferata hæreticorum veſtigia perſcrutamur: mittit ſuas è Germania quercus Hercynia, in cuius gremio veræ religionis ſurculos ſerimus: mittunt truncos ſuos Iaponica nemora, vbi in inſidijs veluti latemus, vt repentè erumpamus in prædam: mittunt Indica, è quibus homines, & monſtroſos illarum mores in apertum educimus. Vbi mirũ, PP., pro Ignatij familia cohoneſtanda pugnare ſyluas, quæ nihil prætulit non vrbanum: in eius laudum ſyluas excurrere, cuius opera nihil in terrarum orbe ſylueſcit: ad eius gloriam ſyluas properare, quæ ſuis laboribus id conſecuta eſt, vel vt ſyluæ non eſſent, vel vt natiuam exutæ ruſticitatem præſtantiore cultu hortos imitarentur.

Verum licet in Ignatij decus officioſiſſimo curſu contendant nemora; licet amoris, vt ita dicam, flamma ſuccenſæ arbores eius aræ flammas nutrire benignius quærant; tamen cum domeſticis ignibus abundemus, exteris parcet oratio mea. E noſtra igitur ſocietate, quaſi è floridiſſimo pomario ligna legenda ſunt, vt ignes tam nobili aræ non impares foueantur. licebit ex illa non quer-

cus,

cus,& robora; non ſtipites areſcentes; & inutiles truncos excindere,ſed cedros odoratiſſimas, quæ vt dignas Cælitum aræ flammas exhibeant, eodem ligno & ignes in ſacra, & odores in thura ſufficiant. Agite iam ad illuſtriſſimos ignes rapiatur oratio mea,ad quos facem mihi præfert Ignatius;poteſt enim ardentiſſimus vir ſua in ara non alias adhibere, quam flammas ſuas. proferat igitur huc eas primo faces noſtræ familiæ nobiliſſimus Parens, quæ Cælo deciduæ illius in vertice identidem conſederunt; cum ipſe cæleſtis epuli beatiſſimus cōuiua oculis quidem liqueſceret, cætera inardeſceret totus: pluebat è ſideribus flamma, vt flammæ fieret obuia,quæ pectore paſcebatur, vtra fax maior eſſet?incertum,ſed vtraque certè deCælo. Proferat faces huc, quibus Colonia, quibus Barcino,quibus Roma,dum in illius auguſtiſſimum os lumen intenderent,afflatæ perhibentur: proferat faces denique, vel quæ iacta in Ignatium maledicta vindicaturæ, inuidum caput, & cynicam linguam depaſtæ illico sũt: vel quæ innoxio lapſu, ac mitiſſimis oſculis, famulantem Ignatio Neapolitani adoleſcentis manum lambere vo-

luerunt. & has, & illas faces iuxtà dixeris pias, licet ſeruare libuerit alterum, alterum perdere. Verum inter illuſtriſſima Genitoris incendia nefas eſt filios non exardeſcere. legant ergo ex tam magna flamma ſcintillas, atque antiquitatis mores noſtri homines referant; cuius celeberrimos inter ludos, emenſus longiſſima ſpatia parens, facem tradere filijs perhibebatur, vt nimirum, qui natos edidiſſet in lucem, idem reuocaret ad flammas, & qui rogum expectabat à filio, ignem filio miniſtraret. miſcebit ergo Societas cū Genitoris facibus faces ſuas; habet enim vnde non mediocriter æſtuet, cum inter flammas orta, inter flammas adulta ſit. Illa enim Alexandro Macedone melior, in cuius ortu Dianæ templum dicitur exarſiſſe, primum ſuo in Ignatio cœpit exiſtere, cum diuinæ flammulæ, ac pluuius è Cælo ignis ligulas imitatus, Heroum cohortem, Hieroſolymitana cœnatione concluſam, per cæſariem fuſus, ac tempora, aut placidè lambere viſus eſt, aut glorioſiſſimè coronare; concluſi tectis Apoſtoli, Ignatius arce concluſus, igne iuxta appetiti ſunt eodem tēporis momento, illi tamen capite, hic pedibus.
Sed

Sed inter cæleſtium imbres ignium igneo globo Ignatius afflictus eſt, ne crederemus faces illas, vel iactas mortalium manu fuiſſe, vel fuiſſe mortales. Eadem face & Apoſtolos, & noſtros homines Prometheo longè pręſtantior diuinus Amor animauit, vt eorum exẽplo heroes noſtri & diſcutiendis ſcelerum tenebris,& impietatis nubibus illuſtrandis ſuos ignes accenderent;eodemque muniti quaſi Herculea face, in hyperboreis plagis nouo ſemper capitum fœtu repullulantes Hydras opprimerent,ac terrarum orbem;qui vbique incultus,ac rudis ſylueſcere videbatur, felici incendio inflammarent. O natales noſtræ Familiæ illuſtriſſimos, quibus tantus ignis illuxit? O clariſſima infantiæ rudimenta, quibus primos dies afflauit Cælum quidem,ſed puriore flamma,quam Solis, & quibus Lucinæ loco fuit igne ſuo diuinus Amor. Oculos igitur primo noſtra Familia non ad Solis, ſed ad Numinis radios reſerauit: & antequam in verba ſolueret linguam, flãmas in linguæ ſpeciem à Superis nacta eſt; ac tùm primò vitales auras afflauit, cum illas ad ſuperos ignes ventilandos adhibuit.

Verùm enim verò mirũ hìc, PP., cũ noſtrá Familia Romano nomini tantũ addicta, ac Romanis ſignis omninò deuota ſit,eam tantum ſuis natalibus à Romanorum incunabulis diſcrepare. Intuere Romulum, Remumque naſcẽtes: illi in vndas immittuntur, nos inter ignes exorimur: auctus illic pluuia Tyberis,pluuium hic ex aſtris incendium: cum tamen Mars vtrinque ſpectandus ſit; illic enim Martia ſoboles in diſcrimen vocatur,hic miles Martius. Verum illos inter fluctus, ac tempeſtates par erat faces noſtras ſerenitatis prænuncias,quaſi Caſtorum faces,ardeſcere. feciſſet Romulus ea in vnda naufragium, ni ſuis fiammis Ignatius,vel in ſoloPharum prætuliſſet, vel inter ſidera Cynoſuram. Atqui quò me ludrica Romuli, Remique nomina rapiunt? ſileantur Quirinus,ac Frater, cum in Romanum ſolium melioribus auſpicijs Petrus aſſurgat,ſed non impari fato,ab aquis ſcilicet reuocatus,quippè piſcator Petrus, qui ad ardentes prunas cum muliercula congreſſus,deiectus turpiter eſt,crimẽque apud ignes ſuſceptum, perpetuis imbribus conatus extinguere,noſtro tamen ab igne vires concepit, ac neruos:

qui

qui ad flammas ſuo à Duce deſciuit, mille ſub hac flãma Duces ſuo nomini deuotos intuetur: ipſe apud ignes aqua mobilior fuit, neminem tamen noſtros inter ignes aſpicit ignibus comparem leuitate. Inter flammas ergo orti ſumus, PP.; licet ex illis ſplendoris auſpicia capiamus. Inter flammas, inquam, extitimus Achillem imitaturi, quem, vt ferro redderetur imperuius, adhuc infantem ignibus merſum ferunt: licet hoc omine hoſtium tela ſubeamus impauidi. Verũ hac ipſa laude Achillis flammas longiſſimè ſuperamus: ille Inferno igne aſſecutus id eſt, nos verò Cęleſti. Erit igitur græcus Heros gloria obſcuriore, apud vmbras videlicet parta.

Reputate Vobiſcum hìc, AA;. quantum ex igneis natalibus conceperit ardoris noſtra Familia, Solis equum diceres flammas naribus expirantem; quare quàcunque pergat, ſerere incendia, fulgura iaculari. Sileo hic domeſticos ignes, inter quos non cecidit Aloiſius: ſileo exteros, quibus glorioſè perditus Spinula: mitto faces, quas, cum viueret, in pectore Stanislaus accendit, quas, cum extinctus eſſet, extinxit in patria: prætereo flammas barbarorum dextera

noſtra in Templa in Occidente contortas, repente reſtinctas: prætereo noſtrũ corda ibidem flammis admota, atque in cineres non ſoluta: ſileo faces vel è Cælo deciduas, vt heroes noſtros in Iaponia cohoneſtarent; vel noſtra opera ab inferis excitatas, & in impiorum caput immiſſas, vt igne plecterentur, quos luſtralis vnda non mitigauerat.

Sed facere non poſſum, quin tantam flammarum multitudinẽ prętereuectus, in Italia noſtra conſiſtam, noſtro potiſſimum igne conſpicua. Eſt ad Adriaticũ ſinum non ignobilis pagus, infrequens accolis, ſed exteris celeberrimus, nullis nationibus religione non tactis, & confluente vndique multitudine. Erigitur hic è tranſmarinis finibus Cælitum manu ducta volatica ædicula; ita peregrinari voluit ſanctiſſima Domus, vt neminem non doceret peregrinari. Excepit hæc olim ſedes Diuarum maximam, & natum Deum. Tam vilis limes ſuum præbere potuit Numini Cælum. extant adhuc maximæ rei non minima veſtigia, natiuus horror ſacrorum aſſiduus comes, & in humili tecto cognata maieſtas. Nomen loco Laureto eſt, quippe de cunctis regionibus triumphaturo,

Hanc

Hanc etiam illuſtriſſima Ignatij Soboles ſedem inuaſit, vt raperet ne cæleſtes flammas, an vt inferret? rem excipite hactenus inauditam, ſed noſtræ familiæ parem. Perorabat hìc aliquando maxima hominum in corona è noſtra Familia non ignobilis orator: mittebantur & eloquentiæ mella, & apum aculei: & roſas videre erat, & ſentes, quò mulceret, & quò feriret. Neſtorem diceres fluentem nectare, ſed cum bella committerentur; ruebant nationes raptæ dulcedine, raptæ vi, iamque in æſtu dicendi, & ardebat ipſe, & inflāmari cœperant Auditores. Plaudebat illi lacrymis, ac ſingultibus plebs, qui in Chriſtiana eloquentia riſus, ac plauſus ſunt; atq; inter oratoris voces, Auditorũ gemitus mixti, ſuſpiriaque, dulciſſimo veluti ſonitu, illius cantum videbantur interpellare. Fluebat hac, illac geminus fons, alterum corona dabat, ſuggeſtus alterũ: hunc dicentis ora, illum plebis oculi aperiebant. Inter hæc terrore quati pectora, corda exanimari; pallor genas, horror cæſariem, mœror ſupercilia, gemitus aures occupauit; fœdari ſordibus veſtes, & futuro prodigio proludentes, plenis manibus cineres toto corpore

ac toto vertice affatim ſpargi; cinis ergo cognatos ignes arceſſijt. Etenim ne videretur noſtra Societas ſuos Pericles non habere, qui dicendo fulmina iacerent, igneus globus è Cælo pluuius tẽpli coronam viſus eſt occupare: è quo diuiſæ illico ligulæ, igniculique primo Oratoris verticẽ, tum Auditorum comas innoxio lapſu depaſti ſunt. Videre erat, PP., faces toto templo volitantes, aut in turbinem flecti, aut in ſpiras complicari, aut ęquabili, aut erratico ductu vel rapi, vel ſiſtere: ſcintillare alias, ac prole multiplici fœcundas faculas ſerere: ſteriles alias, & flamma contentas ſua, ſeu verſatili globo torqueri, ſeu taciti more fluuij placidiſſima ruina deuolui. Tum hæc tempora, hęc frontem, hæc verticem lambit; hæc tota cæſarie latiſſimè potitur, ac blandis amplexibus capillo coniuncta, comas dolore fuſas, ac diſſipatas ſuis nexibus implicat: ſordidatas cinere ſuis radijs coronat, ac decorat. Inter tremulos ignes hærent Auditores: inter cadentes flammas immobili veſtigio ſiſtunt admiratione defixi, miranturque ab oculis vndas, à Cælo faces reuocari: has quidem innoxias, illas verò ſalutares. O nullos Demoſthe-

nis

nis neruos! ò ludicras orationes! ille ad aquæ ſonitum declamare ſolitus eſt, hic ad ignis: ille maris ad fremitum, hic ad incendij: ille fluctus adhibuit, hic etiam flammas: ille denique in æquoris arena, hic in cinere perorauit.

Mirata interea Laurètana domus eſt ſe à lauro quidem cognominari, ſed à fulminibus tamen peti poſſe: gaudetque ſua inter prodigia, noſtra etiam numerare. Illa ſuo quondam in ſinu humanis indutum artubus Tonantem aſpexit: nunc verò fulmina etiam concuti Oratoris noſtri voce contuita eſt! à Laureti nomine Laurea mihi legenda eſt, PP., quę vel coronam operi, vel coronidem orationi ſufficiat. Patiamini tantum extremo loco, qui fulmina in lauro ſpectauimus, ignes in aqua contemplemur; & quas à Cælo reuocauimus flammas, non minore miraculo reuocemus à mari. Dabit hoc decus India noſtræ Familiæ, à qua ferè omnis noſtræ Societatis gloria, & petitur, & petetur, hæc non tam naturæ prodigijs, quam Franciſci Xauerij memorata regio, vt ſuos fluctus, quos margaritis ornauerat, igneis etiam pyropis accenderet, vt præſeferret vndas pretioſas an-

teà, nunc etiam prodigioſas; faces vel cum vndis nexuit, vel inſolenti partu ab vndis elicuit. Perhibent enim cum in Franciſci gloriam pro Delubri ampliſſimi tholo lychnuchus arderet, ſiccato à barbaris oleo, aquam ardentibus ellychnijs nefariè miniſtratam: verum quæ Franciſci voce vel compreſſerat tempeſtatem vndâ, vel exuerat amarorem, voluit eiuſdem imperio etiam inflammari; vt cum exulabat à mortalibus pietas, occuparet elementa. mirati ſunt interim barbari vel ſua flagitia ijs facibus detegi, vel ad virtutem ſibi ea incendia prælucere. Flagrantiſſima verò Indiæ regio flammis ſemper obnoxia habuit in hoc prodigio, in quo flammis delectaretur, & cum è Cælo pernicioſi ſemper fulgurent ignes, hic ignes accendi vidit à Cælitibus tantum pios. Sed potuit India ſuo à Xauerio tantum impetrare, cuius auſpicijs Cælum tam feliciter exprimebat; vt quoniam æternæ faces, ac ſidera piſcium inſtar innare perhiberentur, ſuis in aquis India flammas cerneret innatantes.

Legi iam toto terrarum orbe, PP., & incendiorum nutrimenta, & incendia, ſeu quibus noſtræ Familiæ nobiliſſimus

pa-

parens Ignatius,ſeu quibus tanti Parentis illuſtriſſima Soboles æſtuauit; & ab Oriente faces, & ab Occidente quæſitæ ſunt; cæli flammas inuaſimus; mare flammis accendimus, vt aræ nouis Cælitibus excitatæ ſuccenderentur,ad quas extremo loco flammas ab aqua petiuimus, vt Hebræorum aras exprimeremus, quæ non ſemel aquarum aſpergine madefactæ,ſuperis ignibus coruſcaſſe perhibentur. Ardent nunc in hac Ætna inteſtino rogo præcordia, quæ dum tractant incendia, dum patrijs facibus implicantur, nefas putant Papilionis inſtar feliciter non inflammari. Vos,vos interim ignes,vos,inquam,veſtris facibus Cynoſuram, & Helicen meæ nauigationi ſufficite,quæ glorioſè me deducat ad pyram. Ex hac ara petātur faces,quibus accendamur ad gloriā: ex hac petantur, quibus abſumamur in rogo; flamma hæc immittat nos in Oceanum, vt Oceanus nos immittat in flammas,quibus in Iaponico littore ſoluamur in cineres. libet enim, quandoquidem & aras extruximus, & in aris accendimus faces,libet, inquam,hoc ſāguine, hac anima ſanctiſſimis Parentibus nuperis Cælitibus victimam miniſtrare. Dixi.

ELE-

ELEMENTA
B. ALOISIO
OFFICIOSA.

TELLVS.

ORATIO.

ALoiſium Gonzagam, aut virtutis curriculū velociſſimè metientē, aut Cæli metam feliciſſimè ſubeuntem hodie contemplaturus, Patres, quatuor feruentibus rotis agitandis non equos, ſed in equorum æmulationem, præſtantioribus votis, elementa proponam. Nec beatiſſimo Adoleſcenti elementorum officia improbatum iri putanda ſunt; quando illum tanta olim benignitate vel complexa ſunt, vel reuerita. Quid?

quod

Digitized by Google

quod non adeo noſtra hęc Superis inuiſa ſunt nomina , vt ſordida videantur, atque à cæleſti aditu prorſus aliena. Etenim ſi Platoni credimus in Timęo , non hæc mortalitas vna, quibus conflatur, inter elementa verſatur, ſed Cælites etiam , a quibus exceſſerunt, elementis ambiuntur. in ſiderum lumine ignis accenditur; in denſitate terra conſtipatur; ſi quid habet Cęlum fluentis, ac lubrici, ab aqua mutuatur ; ſi quid præfert perſpicui, pellucidique excepit ab aere. ardet ignis illic , ſed adurere nefas putat; tepet leuiſſimus aer, ſed imbres fulminat, non creat; fluit aqua , ſed non labitur; ſtringitur terra, ſed non ſordeſcit. Quapropter reuocari ſe Aloiſius patietur ad elementa, quæ vel inter Cælites non deſtituit, vel elementis præſtantioribus commutauit; patietur, inquam, ad elementa ſe rapi, inter quę vel iter inuenit, vel iter ſibi fecit ad ſidera.

Verum in hoc elementorum theatro alijs aliud obtigit: ego humillimum nactus ſum. Terram proſequar cum Aloiſio mutua beneuolentia, beneficijſque certantem. Spectabimus igitur, & telluris in Aloiſium , & in tellurem Aloiſij complexus, & oſcula ; quibus nobiliſſimus

mus puer aſſurrexit in cælum feliciore conſilio, quam Romana in hiſtoria Brutus, qui telluris oſculo euaſit in ſolium. Interea legite hoc è ſolo vos Auditores aut flores Herois noſtri virtutibus coronandis, aut thura ſanctiſſimi Indigetis altaribus cumulandis.

Puto enim, licet ex elementis omnibus terra vel humillima ſit, vel viliſſima; puto, inquam, ex elementis omnibus gratiſſimam Cælo, vel quod ab vna tellure legantur Cælites, vel quod ab vna tellure Cælites adorentur. Ignis, Aer, Aqua, vaſtum quoddam, ac ſterile Regnum ſunt; neminem hactenus aluerũt, vel quem in Cælum tranſmitterent, vel à quo Cælum coleretur. Sed iam mutua Aloiſium inter, ac tellurem officia orationem meam ſibi depoſcunt. Igitur ad dicendum aggrediar; vtinam tamen oratio Aloiſij potius decora referat, quam telluris humilitatem.

Iam vero vt in tellure primo conſiſtam; ſiue nobilitatem affectaret antiquitas, ſiue notaret ignobilitatem; ſiue genus extolleret, ſiue deprimeret, maiorum decora iuxta, dedecoraque, horum laudes, & gloriam, illorum ſordes, & ignominiam identidem expreſſura, ab

vna

vna terra cognomentum accipere ſolita eſt; quare illuſtriſſimi quique terrę filij, terræ filij obſcuriſſimi quique appellari voluerunt; eodemque cognomento ſummi pariter, infimique, illuſtres iuxta, & obſcuri ſæpius vſi ſunt. An mortalibus ita indicatum eſt, omnes pariter à terra progenitos, paruoque, aut nullo diſcrimine, aut nobiliſſima, aut fœdiſſima nomina fere diſiungi. Terra igitur iure optimo ſeu magna, ſeu communis parens ab omnibus nuncupatur; cùm illa mortales omnes naſcentes ſuo ſinu primum excipiat: extinctos ſuo gremio extremum complectatur: ſuis brachijs aſſiduè foueat: ſuis vberibus ſemper enutriat. Orimur in illa, in illa adoleſcimus, in illam decumbimus morientes; & cùm hoſtilibus nos odijs ſingula proſequantur elementa, in vno ſolo perfugium, in vno præſidium eſt. En vt in aqua mergimur, ruimus in aere, in igne reſtinguimur, tamen vna in terra conſiſtimus, atque expellimur vndique, vt humi quieſcamus. cùm enim fluctuamus in pelago ad terram appellimus, vt firmemur; cum ex aere deuoluimur, terra excipimur, vt conſiſtamus; cum ab igne diſſoluimur, terram repetimus, vt tumu-

mulemur.cuncta igitur elementa nos & premunt,& perimunt: vna nos terra vel tutatur ab omnibus, vel ab omnibus pulſos amplectitur,atque illorum odia, ſæuitiemque, humanitate,blanditijs aut mitigat,aut potioribus beneficijs reſarcit officioſius. Illa eadem amantiſſimæ parentis ritu, atque amantis in morem protendit Promontoria, veluti brachia,nos complexura; ſpecus aperit, quaſi ſinus,nos exceptura, hic molleſcit in glebas, vt natos alat;illic dureſcit in cautes,vt muniat.Qua in cliuos attollitur, vt mortales curioſius ſpeculetur; quà in campos extenditur, vt iiſdem mollius ſubſternatur.

Iam vero quidquid aut ridet in floribus,aut viret in herbis,aut ſurgit in ramos,aut miteſcit in poma, aut in aurum flaueſcit, aut ſplendet in gemmas;terræ artificium eſt multiplici figura Vertumnos,ac Protheos ſimulantis, vt ſuis vndique natis occurrat; & ad vetera nauſeantibus, nouis quaſi ſaporibus, excitet famem.ceterum libenter excinditur, atque à penitiſſimis montibus cautes educit, vt ſuis mortalibus conſtruatur in domos, exurgat in Regias. Proſcindi ſuorum manu geſtit, ac diſſecari,vt ſemina

mina recipiat primò, tũ multiplici fœnore cumulata reddat; euiſceratur vltro, vt incluſas in imo diuitias mortalibus proferat.

Hac in omnes mortales benignitate, his in natos officijs ſuauiſſima mater vtitur ſuos, ſed non minori beneficio in Aloiſium effuſa eſt. Bis igitur illum ſingularibus ſtudijs terra demerita, naſcentem primo, tum extinctum, in cunabulis, in ſepulcro; ſiue enim è terra primo cõflaretur, ac terram premere inciperet, ſiue in terram extremo difflaretur, ac terra liber excederet, telluris benignitate iuxta perfuſus eſt. Sinite hìc, antequã naſcentem Aloiſium intueamur, antiquitatem ingrediar, illiuſque mores in mortalium ortu vobis aperiam. Luculentiſſimi Scriptores perhibent vix eductum infantem humi proſterni; quaſi primos amplexus communis illa mater allatura ſit, primum ab illo oſculum libatura. ita illum ſuæ veluti originis admoneri, ita illi ſuum veluti exitum indicari. quis hominem abnuat arboribus parem, cum vix exortus, radices prope dixerim ſuas cogatur humi defigere? hoc ab hominibus ſuo veluti iure repetit terra; vt noſcamur in illa, in qua do-

nec ſuperet vita, viuendum eſt. Interea quaſi originis pudeat,tacta humo,mortales in gemitus effunduntur: & largo lacrymarum profluuio ſordes nituntur eluere,quas à ſolo contraxerant. viuere ſe dolendo teſtantur , quaſi prius illos vitæ pœniteat,quam vitam iniuerint:& ne ingratiſſimam lucem intueantur,oborto fletu vel obtegunt oculos,vel corrumpunt. Equidem putauerim tot gemitus,tot ſuſpiria illinc oriri, quod indulgentiſſima cæteroqui mater, tamen cum infantia duriuſcule tellus agat; ac ſine riſu,ſine blanditijs,ſine infantilibus crepundijs ab ætatula illa virilitatem expoſtulet.Quidquid id ſit,in hos etiam luctus, ac gemitus naſcens Aloiſius vocabatur.Interea ſanctiſſimi iuuenis Illuſtriſſima genitrix,appetente iam partu, maximis doloribus premebatur . An quod natura reſpueret tam caro pignore viduari? an quod non niſi magnis doloribus magna comparantur? an quod exitus in terram nequit Diuis eſſe non luctuoſus ? Videlicet genitrix dolet , quod in dolores editura ſit filium , ac ſuo clamore nati clamoribus fortaſſe præludit . Sed ſoluta iam partu neſcio quo naturæ beneficio parens doloribus

ſolui

ſolui ſolet. An quod ſatis illi dolendum ſit, ſobolis gemitus contemplanti? an quod hanc genitrici gratiam referre velit innocens infantia, vt vix exorta matris dolores in ſe deducat:& cum doloribus maximis educta ſit, dolores referat ſecum, vel vltro imitatura parentem, vel parentem conſolatura? ò miſerrimam mortalium conditionem! in lacrymas, ac gemitus naſcimur: ac dum vitam aggredimur, præ nobis ferimus mortalitatem. ſi prima vitæ rudimenta tam dura ſunt, quo dolore agitabitur ipſa vita? ſi prima lux eos imbres ex oculis exprimit, quas excitabunt menſes, quas anni, quas vitæ ſeculum tempeſtates? In has tu etiam vices, Gonzaga, rapiebaris: in vitæ portu iam lacrymarum tempeſtates tibi parabantur. Iam mortalium conditionem deploraturus, terram videbaris prius fletu preſſurus, eſſe, quam plantis; prius vlulatu cælum impleturus, quam oculis conſpecturus; prius gemitu linguam ſoluturus eſſe, quam verbis. Iam antequam auras ducere inciperes, auras expellere ſuſpirijs incipiebas. Cùm humi deiectus mitia omnia, piaque expertus es, ſtetere gemitus, antequam funderentur; aruerunt

nec ſuperet vita, viuendum eſt. Interea quaſi originis pudeat,tacta humo,mortales in gemitus effunduntur: & largo lacrymarum profluuio ſordes nituntur eluere,quas à ſolo contraxerant. viuere ſe dolendo teſtantur, quaſi prius illos vitæ pœniteat,quam vitam iniuerint:& ne ingratiſſimam lucem intueantur,oborto fletu vel obtegunt oculos,vel corrumpunt. Equidem putauerim tot gemitus,tot ſuſpiria illinc oriri, quod indulgentiſſima cæteroqui mater, tamen cum infantia duriuſcule tellus agat; ac ſine riſu,ſine blanditijs,ſine infantilibus crepundijs ab ætatula illa virilitatem expoſtulet.Quidquid id ſit,in hos etiam luctus, ac gemitus naſcens Aloiſius vocabatur.Interea ſanctiſſimi iuuenis Illuſtriſſima genitrix,appetente iam partu, maximis doloribus premebatur. An quod natura reſpueret tam caro pignore viduari? an quod non niſi magnis doloribus magna comparantur? an quod exitus in terram nequit Diuis eſſe non luctuoſus? Videlicet genitrix dolet, quod in dolores editura ſit filium, ac ſuo clamore nati clamoribus fortaſſe præludit. Sed ſoluta iam partu neſcio quo naturæ beneficio parens doloribus
ſolui

ſolui ſolet. An quod ſatis illi dolendum ſit, ſobolis gemitus contemplanti? an quod hanc genitrici gratiam referre velit innocens infantia, vt vix exorta matris dolores in ſe deducat: & cum doloribus maximis educta ſit, dolores referat ſecum, vel vltro imitatura parentem, vel parentem conſolatura? ò miſerrimam mortalium conditionem! in lacrymas, ac gemitus naſcimur: ac dum vitam aggredimur, præ nobis ferimus mortalitatem. ſi prima vitæ rudimenta tam dura ſunt, quo dolore agitabitur ipſa vita? ſi prima lux eos imbres ex oculis exprimit, quas excitabunt menſes, quas anni, quas vitæ ſeculum tempeſtates? In has tu etiam vices, Gonzaga, rapiebaris: in vitæ portu iam lacrymarum tempeſtates tibi parabantur. Iam mortalium conditionem deploraturus, terram videbaris prius fletu preſſurus, eſſe, quam plantis; prius vlulatu cælum impleturus, quam oculis conſpecturus; prius gemitu linguam ſoluturus eſſe, quam verbis. Iam antequam auras ducere inciperes, auras expellere ſuſpirijs incipiebas. Cùm humi deiectus mitia omnia, piaque expertus es, ſtetere gemitus, antequam funderentur; aruerunt

lacrymæ antequam ſurgerent; Cælum arriſit,in flores ſe ſe tellus aperuit: niſi tamen illam,cùm te exciperet, florum puduit præ tua pulchritudine decolorum. Tu verò ridentibus oculis, labijs ad pietatem leniſſimè patefactis, explicata ad lętitiam fronte humi iecisti mẽbrula,obtutum in Cælum: preſſiſti gemitus, vt in preces labia ſoluerentur: pepercit fletibus dolor,quos erant olim gaudia tuis luminibus expreſſura. Mirata mortalitas eſt & infantis conſtantiã, & terræ benignitatem: hanc naſcentibus ſemper infenſam, iuris hìc oblitam ſui:illum ſuæ conditionis oblitum, & in ortu non gemebundum. At vero quid terra ſeuiret, in cuius ortu ridebat Cælum?atque vbi plaudebat orbis,ipſa inamœna ſeueritate inhorreſceret? Mitiſſime igitur ſe geſſit,quaſi ſentiret,quẽ excepiſſet: lætiſſimè ſe geſſit Aloiſius, quaſi non ſentiret, in quam incidiſſet. Fletus igitur compreſſit, preſſa tellure, quòd pugnæ campum ingrederetur, ex quo ſæpiſſimè triumpharet: minas terra compreſſit, quaſi tum ab Aloiſio inciperet vinci. Habebat ille humi ſegetẽ gloriæ:habebat humus in illo ſuam frugem,ac decus ſuum. Hoc primo mirandum

dum noſtro in Gonzaga terra ſpectauit. hic primo benignam expertus eſt Gonzaga tellurem. Viſus eſt ille mortalitatis iure non tangi: viſa eſt hæc mortalē in Aloiſio non excepiſſe. An à regionis tuęcygnis, Adoleſcens ſanctiſſime, didiciſti, non quidem appetente morte concinere, ſed primo in ortu non flere: ſicut enim illi fati dolores carminibus eludūt ita tu natalis cruciatus gemitu non es proſequutus. Videlicet telluris aſpectu non exhorreſcis, quæ tibi vel Cælum fuit, vel verſa à te fuit in Cælum. quaſi fortiſſimus miles tuo puluere gauiſus es: quaſi arator triumphalis, ac ruralis Imperator tuo campo delectabaris: quaſi ſcientiſſimus nauta, vel gubernator, viſa tellure, non potuiſti non exultare. Sed quæ naſcentem Aloiſium terra tanta benignitate complexa eſt, non minore complexa perhibetur extinctū; ſiue illum in hanc lucem immitteret, ſiue hac luce tandem orbaret; non minus in incunabulis, quam in feretro parens viſa.

Hæc etenim communis omnium parens, in cuius ſinu, ſeu vita ſuperet, ſeu vita deſtituamur, conſidemus: quæ non minus florentes homines ſuſtinet: quam

languentes: à qua cùm ab omnibus abſtrahimur, neſcimus abſcedere, cùm vndique expellimur, excludi non poſſumus: quam premimus viui, qua premimur extincti: quam viuentes dedignamur: quam repetimus mortui: qua nobis membra conflata ſunt: in quam nobis membra in morte difflantur: in qua floreſcimus pariter, ac defloreſcimus. Hæc inquam, benigniſſima alioqui parens vna in morte crudelis eſt; etenim quos primo pepererat natos, diſſecat extinctos; atque Hebrea parente crudelior, quos in lucem effuderat, inter ſepulcri tenebras mandit, ac deuorat: quę dederat membra crudeliſſimis morſibus rapit; ac latronibus ipſis, & graſſatoribus ſęuior mortales ſuos rebus omnibus & animis, & ſe ipſis ſpoliatos, cùm cæteris nequeat, membris ipſis nudat, & viduat. Scrutare ſyluarum receſſus, Africæ ſolitudines, Hyrcaniæ montes, & quidquid barbariæ in vltimis terrarum receſſibus latet; nulla vmquam monſtra crudeliſſimis vnguibus, dentibuſque tanta clade ſæuient, quanta in natorum corpora vtitur tellus.

At vero tanta crudelitas in alios effuſa eſt, in Aloiſium vero terra non minus

nus vtique pia, nec parens minus; in alios excitata tempeſtas in hoc ſinu detonuit; & iacta in alios tela, vel tantum hæſere in hoc clypeo, vel in illo retuſa reſilierunt. Liceat, A A., hic mihi prodigium id ſcrutaturo in ſepulcri latebras oculos mittere. Liceat hìc fati carceres, ac telluris caueas veſtigare, vbi mortales aſtringit terra, ſed ſine catenis; plectit, ſed ſine tortoribus; dilaniat, ſed ſine ferro; vbi puluere impius iuxta premitur, ac pius; nulloque diſcrimine optimi quique, peſſimique pariter tumulantur. Hic quis in confuſo puluere Aloiſium indicabit? quis inter oſſium crates, & compoſitos temere aggeſtus lacertorũ me in ſanctiſſimi iuuenis articulos feret? par ſedes omnibus, pares tenebræ, par deformitas, paria in cognato veluti mœrore ſilentia; ergo nec mihi dabitur, quaſi Abſyrti membra, hac, illac Aloiſij lacertos diſſipatos aſpicere, legere, exoſculari? O maxima adoleſcentis noſtri decora! ò fati benignitatem! inter indiſcreta cadauera, inter oſſa indiſcriminatim aggerata, neſcio quid fulgurauit in Aloiſio, vt a cęteris raperetur. Ferunt enim annos ab exceſſu ſeptenos cum à cadauerum turba ſanctiſſima lip-

ſana legerentur, vt efferrẽtur in lucem, ita reperta, vt natiuam pietatem, cognatamque membrorum compoſitionẽ omni ex parte præ ſe ferrent. Videbatur adhuc cæleſtis animus membris, religio pectori, pudor oculis, fronti pietas inſidere; adeo nec diuaricatis cruribus oſſa diffidebant, nec pedum proiectu ſuperbire videbatur inceſſus, non diſſipatis, & confuſis articulis, lacertiſque, brachia immodice protendebantur, ſed inanibus oculorum ſinibus etiam num defixis in ſolum, contracto modicè dorſo, demiſſa paruo flexu ceruice, atque ore in humum deiecto, manibus ad pectus admotis magis ſibi temperabat in tenebris, quam conſueuerint cæteri in Sole. quaſi vero vmbracula illa ſibi palęſtræ inſtar ſtatuiſſet, vbi formaret mores, vbi virtutem meditaretur. atque emortualem puluerem ad firmanda membra, & conſtipandos artus palęſtrita nobiliſſimus adhiberet. Corpus igitur tellus abſumpſit, virtuti pepercit; & cum ſpoliaret omnibus membra, pietate non ſpoliauit; extincto in cadauere, inextincta videbatur religio; & cum nihil artubus ſupereſſet, ſupererat pietas vel non tumulata, vel in tumulo re-

di-

diuiua:membra puluerem ſubierunt,ſed membrorum compoſitus decor medio in puluere non eſt ſorditatus ; & in ſepulcri caligine latebat aliquid , quod poſſet aſpici vel à Cælo ; & habuerunt in ſepulcri puluere ſidera , non quod in aurum,argentumque verterent,ſed aurum,argentumque,quod legerent . Habeas interim gratiam telluri,Gonzaga, in cuius ſinu tantum decus vel non amiſiſti,vel inueniſti. Parentem ergo Aloiſius terram expertus & naſcẽs, & extinctus ; illius beneficijs auctus inter cunabula,in quibus non doluit,inter ſepulcri cineres,in quibus non deturpatus. illic virtutis inditia præ ſe tulit , hìc virtutẽ præteritam indicauit.illic eius pietas feliciſſimum habuit Orientem,hic Occaſũ viſa non habuiſſe . pepercit illic immodicis vocibus,pepercit hìc incompoſitis geſtibus.hìc oculus ab humo non flexus eſt,illic in lacrymas non effuſus . Ita Aloiſius vicit vbique naturam,vel cùm ſub naturæ iura vocaretur, vel cùm naturæ cederet in ſepulcro. Verum enim vero debuit hæc tam magna , atque inaudita beneficia ſanctiſſimo nato tellus , à quo non minoribus officijs tellus ipſa cumulata eſt ; quaſi nefas duceret

par

par pari non reddere. in incerto enim eſſe putauerim, plus ne Aloiſius in terram, an in Aloiſium terra contulerit; maiorem ne gratiam parens in natum, an in parentem natus reponere viſus ſit. Attendite rem veſtris auribus non indignam, AA., ſed patiamini antequam in illam ingrediar altius repetatur oratio. Proponite vobis ob oculos ſanctiſſimum adoleſcentis animum Cælo ſemper aſſuetum; & Ardearum, atque Aquilarum inſtar ardua quæque, ſublimiaque ſectantem. ἄσαρκον illũ in Auſtria Regia nuncupauere, videlicet ab hac mortali concretione ſeiunctum, ac prope ſidereum. Diuinum quidpiam fulgurabat ex oculis, afflabatur ex ore, ſignabatur in inceſſu. Vranoſcopum diceres, quem tantum è piſcibus à contemplando Cælo ita perhibent appellatum. adeo vel totus in ſidera, vel è ſideribus totus. Vnus hic videbatur philoſophi illius vocem vertiſſe in oraculum, à quo dicebantur homines aſpiciendo Cælo, ſtelliſque veſtigandis tantum nati. Vnus hic Platonis effata videbatur implere, à quo iudicati mortales ſunt ſcintillis siderũ animati. Vnus hic de ſe potius, quam de apibus popularem ſuum Mantuanum

poe-

poetam ceciniſſe, potuit exiſtimare,

Eſſe ſibi partem diuinæ mentis, & hauſtus Aetherios.

In hoc rerum faſtigio cùm nihil mortale ſaperet, nihil humanum; cùm eò sēper inhiaret mens, vnde olim ſata, vbi olim ferenda erat; tamen non Alexandri Macedonis æmulus oculos vino graues ſemper torquebat ad ſidera, vt diuinam originem præſeferret, ſed lumina lacrymis preſſa ſemper deuoluebat ad ſolum; ſpretoque, quis crederet? ſiderum aſpectu, poſt habita, vt ita dicā, Cæli pompa, vna in tellure figebat obtutum. Lumina tibi erant, Aloiſi, ſed quę nunquam intenderentur in lumen: orbes erant, ſed qui nunquam voluerentur; & cum è Gonzaga familia Aquilas præteferres, nunquam ab Aquilis didiciſti Cæli aſpectu, ne dicam, Solis frui. Sed age, quid humi contemplabaris, in quam oculos tam ſeuera lege damnaueras? quid rimabaris in puluere, quem ſemper aſpiciebas? an cum aſſiduis lacrymis flueres, terram intuebaris, in quam eæ defluebāt? an aurum in tellure veſtigabas, quo nunquam capi potuiſti? an gemmas, quibus nunquam diſtinctus es? tolle, tolle nobiliſſima lumina, & Cę-

lum

lum intuere,quod amas, in quod grade-ris,quo potiris tolle,Gonzaga, oculos: Cælum aſpice,à quo ſemper aſpiceris. Tu vero,ò humus beatiſſima, inter tua maxima decora hoc vnum referes, quod à te nunquam Aloiſius detorſit obtutũ, quam glorioſus eſt puluis tuus. qui tam magnis luminibus ſemper offu-ſus eſt! Officioſiſſimè Aloiſium ſiue naſcentem, ſiue extinctum complexa es, ſed vicem tibi reddit Aloiſius longe maiorem,qui cum humi verſaretur,humum aſpexit vnam,præterea nihil.aſpiceris etiam tu & à ſideribus,& à Sole, ſed alternis inter noctes, dieſque luminibus; & cum à Sole aſpiceris tu,à Sole aſpiciuntur & omnia.At Gonzagę, tellus feliciſſima,tu ſola placuiſti. Valete, valete ſidera,inuenit humi Gonzaga: quod vobis anteferret.

Hæc inter Aloiſium, atque tellurem officia interceſſere,quæ vobis afferre volui, cum nihil aptius occurreret humi,quam humus; nihil dignius haberē in hac mortalitate, quam puluerem. Elementa alia alij proſequentur. mihi legiſſe ſatis fuit hanc gemmam ex hac arena. Cæterum ſi quid ex hoc puluere ſordis contractum eſt, illam proximus

ora-

orator eluet,qui verſabitur inter aquas. Dixi.

A Q V A

ORATIO.

CVm nobiliſſimus ille ſiderum fulgor, ac beatiſſima cæli facies nihil ſibi in hac noſtra mortalitate ſimilius habeat, quam flumina, ac maria: debui profecto in Cælitum laudibus hodie peroraturus, aquas hic potiſſimum aperire, in quas Cælites properarent. Intendite,ſi libet, in pelagus oculos, oculos in fontes intendite.En vt illorum ſinus blandiſſima adulatione compoſitus, vel ad cæli ſpeciem ſe fingit,& comit, vel ſpeculum Cælo præbet, in quo tremulis luminibus ſidera referantur.Quidquid in aſtris ful-

fulgurat, pari omninò fulgore inter aquas intermicat: quidquid illic accenditur, flammas ſuas aut in aquis exprimit, aut cum aqua partitur; adeò vt ampliſſimo liquore circumfuſæ faces feruere videantur in pelago, nec extingui; aquæ flagrare videantur à flammis, nec exareſcere; vel quod cæleſtes ignes innoxij ſint, vel quod contra immortalia nullæ ſint vires. Cum igitur Aloiſius Gonzaga in feliciſſimam concionem ſit hodie à ſideribus reuocandus; vel debuit ad vos aquis comitatus contendere; vel aquæ fuerunt expediendæ, à quibus exprimeretur. Verum certant hic, AA., & fõtes, & pelagus, vt ſanctiſſimum iuuenem officioſius complectantur. Hac parte Ticinus fluit: hac parte fluctuat Mediterraneum; gratiſſimoque vndarum fremitu aut Aloiſium depoſcere ſibi videntur, aut ſua in cauſa diſertiſſimè perorare. In concionem à me producetur hoc, ille producetur. Veſtrum erit, AA., officioſiſſimam litẽ dirimere, atque alteri adiudicare. Dabitur interim tibi, Adoleſcens beatiſſime, ſpectaculum non ingratum. quippe delectaberis fluctibus, qui ſemper in lacrymis fluitaſti. Cæterum aperiatur in

hoc

Digitized by Google

hoc pelago curſus orationi; explicentur vela ſecurius; quæ enim non erit in hoc alto tranquillitas, dum vel ad Aloiſium, vel cum Aloiſio nauigamus? ille vel ſecum feret ſerenitatem : vel excitabit quidem, ſed innoxias tempeſtates.

A quæ blandiſſima ſpecies eſt, atque æſtiua maximè, qua premimur, tempeſtate in delicias omnino compoſita. Sed illam diſſidiorum altricem, parentemque bellorum Antiquitas arbitrata. ò quas natiua perſpicuitate fraudes contegit, AA.; quam fallax blandus ille ſuſurrus, & cognata tranquillitas? quam mollis eſt? tamen duriſſimis nexibus deuincit nationes. quam gelida? tamen ardentiſſimis odijs animorum incendia & ferit, & fouet. En vt Regna fluminibus diſtinguuntur, diſtinguuntur fretis populi; & ſubinde geminæ, quæ fluuios continent ripæ, ſubinde duplex, quod æſtuaria complectitur, litus hoſtiles nationum animos, & arma diſcriminat. Hac ripa Germanos Rhenus, illa noſtros exercitus diuidit: hinc Getas, illinc Thraces, & Romanos in Thracibus Iſter expellit. Promontoria Geſſoriacũ, Caletanumque & Britannos, & Britannis Gallos ſemper infenſos inter ſe diſtra-

ſtrahunt. Quid? quòd amplecteretur Europam Aſia, niſi quà Tanais, quà Mœotis palus, quà Boſphorus æſtuaret: vicinę Ægyptus Syriæ miſceretur, niſi hac, illac vtramque Erythra propelleret: Inſulæ degenerarent in continentem: Iſthmi laxarentur in campos; niſi æſtuantibus Euripis aut obſiſteret fortiter tellus, aut molliter cederet. Nullæ Britanniæ forent, nullæ noſtro in ſinu Siciliæ, atque Æon Platoni commemorata ſua inſtituta, leges ſuas mortalibus indicaret, niſi Atlanticis fluctibus aut abſcondita, aut omninò tumulata, aut oculis tantum raperetur, aut orbi. Et tu ò nobiliſſimum mei pectoris votum, India, propior fieres Italiæ, niſi te inuiſi fluctus noſtro è conſpectu diriperent; ignota maria à noſtra Societate diſtraherent; inuida littora noſtro è complexu diuellerent. Sed libet illatas ab aquis clades curioſius intueri, quæ Numidicos, aut Africanos imitaturæ eorum induerunt nomina, quos oppreſſerunt. Tyberini caſu, regium nomen Albula comparauit: Anij Principis fatum dedit Anienem Hetruriæ: Miſeni nomine, ac Palinuri noſtri fluctus infames ſunt: ex Adoleſcentis rui-

na

na Icarium extitit: ex Helles præcipitio Phryxi voces, ac lacrymæ protulerunt Helleſpontum, & Myrtyli infortunia Myrtoum poſteris pepererũt. Sed quid ego per ſingulorum clades eo, cum clades gentium, ac nationum me auocent aliò. mille Græcorum nauigia Caphareus: trecenta Mardonij Perſæ perfoſſus à Perſis Athos crudeliſſimè diſſipauit. atque vt noſtris etiam malis lacrymæ diuidantur, Caroli V. naufragio Africana littora, Philippi Secundi Britannica, Gallicaque fluitantia toto pelago armamenta, adhuc vel in hoſte deplorant. Minora prætereo, vt ad maxima properem. Accipite igitur communis cataclyſmi perniciem, ſi tamen vlla tantæ cladi par eſt oratio; etenim in hominum fato omnium, omnium lacrymæ vix eſſent ſatis.

Videre mihi videor riuos paulatim in flumina excreſcere, flumina in maria, mare in immenſitatem. pudet campos hic memorare, cum montium latera natauerint. Iam ſummi vertices, & proxima cælo faſtigia ſubſidere primo; tum editiſſimos tãtum apices ex vndis emittere, & inſularum inſtar quati fluctibus, ac circumfundi; ſuperante denique pe-

lago omninò demergi. repente æſtuaria, freta, littora tellus amiſit; amiſit repente omnia, & ſe cum omnibus. Vrbes, Populos, Regna, Prouincias tumulari parum eſt. videbatur incertum, an fuiſſent? cum nec ſupereſſet id, vbi fuerant. tot rerum, tot nationum, tot regionum diſcrimina aut abſtulerat aqua, aut fecerat paria; ſupererant imbres, ſed ſine torrentibus: flumina, ſed ſine curſu: maria ſine littoribus. fluctuabat interim pelagus, cum nulli eſſent ſcopuli, ad quos allideretur: ruebāt imbres aſſidui, cum nullus eſſet campus, quē irrigarent: fremebant tonitru nubes, cum nulli eſſent mortales, qui terrerentur.

Omnia pontus erant, deerant quoque
littora ponto.

Cæterum Cælum nubibus tectum, nè tantam cladem aſpiceret. me miſerum quid euoluo? Verum enim vero fuerit hoc elementum in cæteros impium, illo certe Aloiſius pijſſimo vſus eſt. quas in alios excitauit pelagus tempeſtates, illas noua in Aloiſium ſerenitate permulſit: quæ in alios ictum intulerunt vndæ, amplexus Aloiſio feliciſſimos obtulerunt. Quare ſi qua pelago crudelitatis macula alibi concepta eſt, hanc

certè

certè maximis in ſanctiſſimum Iuuenē officijs aut non fuiſſe probauit, aut eluit. Sed rem, ſi libet, accipite.

Qua inter Gonzagi fines Imperij magna ex parte tam Auguſto nomini Gallia Ciſalpina ſubſternitur, adultique ſuis in fluminibus Cygni Gonzagas Aquilas non metuunt, ſed adorant; ſub æſtatis exitum rheda ſublimis Aloiſius rapiebatur; niſi tamen æſtatem fecerat ipſius aſpectus. Squallebat ager, & intermortuis herbarum toris, vt imbres à cælo repoſceret, diffiſſa tellus ardores multiplici aditu facilius admittebat, & quæ cæteros ab æſtuante cælo protegere conſuerant arbores, lapſantibus comis, nec ſibi iam ſatis erant. Leo inter aſtra ferocior, quam inter feras, eò timebatur magis, quò minus natiuis illum caueis ſyluæ claudebant, plantis vndique potentiore radio aut ſpoliatis, aut arefactis. Sed inter telluris ardores in Aloiſij corde par æſtus; inter ſiderum flammas geminum in Aloiſij pectore incendium. Quarè hæc ſecum identiē: Quid veſtras faces, benigniſſimi Cęlites, & in arbores, & in herbas, & in humum effunditis? mea vobis præcordia reſro: huc nobiliſſimos ignes inferte. frondeſcent

ſcant vtique,ac floreant innoxia nemora, dum meo in pectore pyra ſtatuitur; in quam faces immittantur. Vobis flãma tam vilis eſt, vt detur ardere vel pulueri; quid igitur ipſe non ardeam? è tam felici iactura flammarum meum etiam in pectus ſcintilla aliqua conferatur. Inter hæc verba latiſſimam planitiem paulatim emenſo, ignes repoſcenti pleno alueo Ticinus occurrit, qui vel tortuoſo, vel æquabili ductu, magno ſæpè fremitu, ſæpè nullo, aut præceps, aut lenis, hic latus inter arenas, hic inter cautes anguſtus, in Eridanum ferebatur. Rhedarius ſæpè altiore ripa, ſæpè fundo altiore perterritus, curru non modico tractu ſecundum ripam agitato, nè in id fluminis vadum occurreret, vbi vel torqueretur in vortices, vel tolleretur in fluctus, vel deprimeretur in gurgites, equos eò tandem deflexit, quà vel demiſſior crepido, vel limus humilior ſecuriora littora aperiebat. Laxabitur hic in immenſam amplitudinem alueus, ſed vbi maiores præſeferebant aquæ, ibi minus timebantur. etenim amplior ſinus diſſipauerat vires, ac furor languebat in campo, qui exarſerat in anguſto: modo cum domaretur aggeri-
bus

bus furibundus, indomitus: hic libertatē nactus mitis, ac placidus. Facile & æſtiua tempeſtas, & fluminis placidiſſimi facies nouos hoſpites aut inuitauit, aut traxit; quem enim mentitus ille aquarū aſpectus vel renuentem non inflexiſſet? cui ardor ille natiuus, ac mitiſſimæ cæli blanditiæ aquas non ſuaſiſſent? Et iam ſecuro veſtigio & ripam, & ripæ propinquiores aquas rota perfregerat, nūquam tutior, ac firmior, quam in hoc lubrico. ſtare potius aquas, quam fluere diceres: ac figi potius in ſicco, quam in limoſo, fluidoque ſolo veſtigia. fluctus aut currum, aut inſidētem currui Adoleſcentem deueneratos, putares vel ſe frangi neſcire, vel gaudere ſe frangi; adeò vel alludebant votis, vel innoxio lapſu præcipites, ſatis beati videbantur, quod nouum hoſpitem vel eſſent tacturi, vel tetigiſſent. Interea ſecurior medium fermè flumen rheda tranſmiſerat; cum neſcio qua vi aquarum otia paulatim diſſolui: fluminis blanditiæ in iras exurgere: Ticini comitas aſperari: aquę exardeſcere. etenim tumentibus cumulis, deuolutiſque torrentibus aquæ illico concitari: iam perfractis repagulis, ac diſruptis aggeribus placidum flumē

 in

in fluctus attolli: æquiſſimus alueus in gurgites aperiri: lenior curſus in impetum ruere: ſereno cælo immenſa aquarum vis excuti: calidiſſima tempeſtate deuolui torrentes: æſtuante Sirio, vel Hyades, vel Aquarij fluctuare. Immenſo igitur vndarum volumine Ticinus & ſui, & viarum inſcius humiliores ripas premere, altiores excutere: rapere omnia, omnia reiectare: finitimos campos obruere, contiguos lambere: proceras arbores non aquis alere, ſed opprimere: immenſa ſaxa, montium fragmina, cum montibus ſyluas rotare fluctu: nec ſe, nec hoſpites ferre: ſibi fræna, & equis excutere. Inter hæc deprehenſa medijs in fluctibus quid faceret rheda? quò ſe verterent equi? quid rhedarius agitaret? euolarent ad ripas? ſed aquæ ripas abſtulerant: vadum peterent? ſed in gurgites vada degenerauerant: ſiſterent? ſed impetu rapiebantur. Repente nobiliſſimis viatoribus equos in remiges, temonem in clauũ, in gubernatorẽ rhedarium, currum in nauim infeliciſſimo caſu fortuna conuerterat; quæ flumen in pelagus, ripas in littora, & in hibernas tempeſtates æſtiuam ſerenitatem commutaſſe videbatur. Aloiſius

vero,

vero, qui modò inter æſtiuas flammas exarſerat in amores, inter ingruentes tempeſtates hic colliqueſcebat in lacrymas: cuius corda pulueri ardores inuiderant, eius oculi aquis inuidebant perennitatem: cum non minus inter flammas, quam inter vndas arderet. Agitabantur inter aquas membra, inter ſidera mens agitabat, quæ inter fluminis tempeſtates nullis nubibus operiri voluerant; vt aſpicerentur ne, an vt aſpicerent? vt eſſent ne ſpectaculo, an Aloiſium ſpectatura? Noua tēpeſtas, ac turbata Ticini facies nullo modo turbauerat Adoleſcentis ſerenitatem, qui inter timenda murmura in dulcia carmina, ac pijſſimos numeros ſoluebatur. Vos hic appello, vortices, vos, fluctus, appello; qui medio in impetu ſanctiſſimi Iuuenis robur, & animum admirati, ſæpius conſtitiſtis. nullus pallor genis offuſus eſt, nullo pauore erecta cæſaries, nullo ſudore corpus obriguit. ruebant vndæ, ſiſtebat animus non minus ſui ſecurus in fluctibus, quam aquæ trepidarent. Verum quid hic terreretur? quando tam tuto in littore conſtituta mens aut neſciebat pericula, aut extra periculi vices beatiſſimè conſidebat.

bat. Inter hæc flumen moræ longioris impatiens in currum impetum fecit, & diſſipatis hac,illac armamentis, vt indicaret, cui potiſſimum prædæ rapidis faucibus inhiaret, inter aquarum volumina innocuo fluctu cæteros in ripam expoſuit: vnum Aloiſium coegit media in profluēte cōſiſtere. Rheda enim diſiecta ſæpè, ſæpè concuſſa, vel aquis agitata, vel agitatore non recta, diſtracta tādem dimidium ſui proiecit in ripam, dimidium tradidit flumini, ac prædam ſuis cum ripis æqua portione diuiſit. ſed pars ignobilior in ripa conſtituta, Aloiſius hæſit in alueo. Fluctuabat Gonzaga ſine naue naufragus, & rhedæ inſidens ſine rheda: ea ſpes ſalutis ſupererat, quā vel aquarum impetus ferret, vel currus & rectore ſpoliatus, & equis. vnæ rotæ iam reliquæ vitæ volubilitatem & indicabant, & afferebant: ſed quæ crudelitas viſa eſt, ea pietas fuit, & in ipſo periculo periculum deſijt. quis enim ad pijſſimi Adoleſcentis conſpectum ad pietatem non incaleſceret? Ecce tibi, qui modo æſtuabat in tempeſtates fluuius, inflammatus eſt in amores. furor induit humanitatem; ac nuper ardens in prædam, tum religione tactus Aloi-

ſium

ſium deueneratur; quaſi verò, vt parcere diſceret, ſæuire voluiſſet; atque vt humanior videretur, voluiſſet exaſperari, maris æmulus, à quo deuorantur naufragæ merces, ſed euomuntur in litus: rapiuntur ſidera, ſed redduntur: ſol tumulatur in Occidente, vt idem promatur ex Oriente. Igitur ſecundo flumine (ſi quid ſecundum in tanto diſcrimine) Gonzaga medium deuolutus, tãdem ab ipſo fluctu ad truncum admotus eſt, cuius vi, quaſi tenaciſſimæ anchoræ morſu fluctuantes rhedę partes in vado firmatæ. Ita naufragus puer inuenit in naufrago trunco perfugium; idemque flumen dum maximis torrentibus, & Gonzagam deuoluit, & arbores, eodem impetu cum periculum crearet, periculum propulſauit. Quare Aloiſium fluuius amplexus potius eſt, quam demerſit: detinuit potius, quã rapuit: & maiore vſus in illum beneuolentia, cum media in tempeſtate non perdidit, quam ſi tempeſtatem non excitaſſet. ita enim temperauit vndas, vt cum torqueretur in vortices, neminem raperet: cum in iras exurgeret, omnibus parceret: cum attolleret fluctus, in nullum arietaret. Ille cum ſyluas obrueret, à trunco ſe

vinci

vinci paſſus eſt:cum rhedam occuparet, illam non inuitus expoſuit:cum ſæuiret in tempeſtates, præbuit ſerenitatem. Aquę montes ij fuerunt,vt Aloiſio ſubmitterẽtur: ea fuere diſcrimina,vt omnes euaderent: eo naufragio petiti ſunt, vt merces nullæ perirent.

Hæc fluminis beneficia in Aloiſium extitere;at non minores in pelago gratiæ. tot beneficiorum fontes Ticinus aperuit; ſed quanto vberiores latiore ſinu Mare reſerabit? Fluuius tamen tẽpeſtate pius extitit, Mare trãquillitate: vndis ille iratis, hoc placidis: ille inſuetis inſtructus, hoc conſuetis fluctibus ſpoliatum:ſed illic puer ſuo in periculo, hic in alieno verſatus eſt: illic præda, hic prædator.

Velificabatur aliquando ex Italia in Hiſpaniam nobiliſſimus Adoleſcens, Mariæ Auſtriæ famulaturus. Hic inter Aulicorum tumultus, inter murmura remigum,ac remorum, inter vndarum aſſultus,ac fremitus,inter claſſiariorum fragores,quà fiſtularum, tubarumque clangoribus,quà feſtiuis cantibus claſſe vndique perſtrepente; tacitus Aloiſius, ac ſecum ſolus,dum Hiſpana littora peterent alij, nouam nauigationem aggreſ-

greſſus, mẽtem pleniſſimis velis in Palęſtinam immiſerat. petebatur alijs Tagus, illi Iordanis arriſit. Iamque medio in pelago ad ſcopulum, & cautes adhæſerat, in quarum vertice diuinus Amor è trunco pependerat. Ruebat interea nauis; hærebat ſuo in amore Gonzaga: dum remis vndę ferirentur, ſibi ſui Numinis vulnera aperiebantur: dum triremibus innocui fluctus alluderent, Adoleſcentis præcordia diuino cruore mergebantur, qui diſcere geſtiebat à pelago, quæ fuiſſet vel effuſi cruoris vbertas, vel ſui Numinis amarities? Gemitus interim, ac ſuſpiria, & fuſæ imbrium more lacrymæ tempeſtatem ciere videbantur in maxima maris tranquillitate; & qui nuper in fluminis tempeſtate animum tranquilla ſtatione firmauerat, nunc in maris tranquillitate vel cõcipiebat tempeſtates animo, vel fletibus excitabat. Hic triremibus leniſſimo tractu labentibus ſeſe medio in pelago ſcopulus obtulit: qua mari opponebatur, aſperior; mitiſſimus vero, qua ſecretus à pelago in cliuum attollebatur; etenim vbi in faſtigium aſſurgebat, amœniſſimis arboribus conſitus, eò magis accolas in ſuas delicias inuitabat, quò

du-

durioribus aditum cautibus præcludebat, conſueto mortalium vitio ſemper in vetita properantium.

In hunc velis, remiſque contendi, Auſtria imperat Heroina. etenim longior licet in tranquillo mora aſſuetis humi mortalibus tędio eſt. Puppes igitur littori admotę: proſiliunt illico claſſiarij: in vndas anchoræ, naumachiarij pontes in litus iaciuntur, quibus magnificentius, ac ſecurius Imperatoria Princeps exponatur. & Aulici, & Milites in cymbas deſiliere: pelagus exhorrent, ac deteſtantur: atque in adulationē effuſi, terra vna in delicijs eſt: cautes fluctibus, ſyluas nauibus anteponunt. Tu quoque raptus es fluctibus; tu quoque ſcopulo creditus es, Aloiſi. Verum dum Claſſiarij tota ſylua palantes aut aues, aut feras, aut ſylueſtria poma, non modicas è longa nauigatione delicias, perſcrutantur, tu neſcio quas nactus & ſagittas, & arcus, Amorem tuum aut ſimulabas, aut venabaris, vt cum cæteri agerentur in prædam; tu prędaturus Numen, præda Numini obijcereris. Hæſit ergo ad extremum in ſaxi crepidine Gonzaga, & inter exeſas cautes, & pendentes è ſcopulo lapides ſyriaca ſa-

xa,

xa, Caluariaſque cautes in animum re-uocauit, atque in ſyluoſo ſcopulo truncus offuſus eſt animo, in quo ſui quondã Amoris membra diſtenta ſunt. Tum & vos, inquit, ſaxa ſenſiſtis aut amores Numinis, aut dolores: vos noua pietate ſaxum exuta gratiſſima adulatione, vt Numinis vulnera exprimeretis, ſponte diſſiluiſtis: an vt mortalium crudelitatẽ caſtigaretis, tot vobis ora pietas reſerauit? an vt extinto Amori daretur vrna, vobis diuina quædam adulatio ſinum aperuit? quas nequiſſet ſilices aperire ferrum, amor aperuit: quas crudelitas nequiſſet, diſſecuit miſericordia. quam benè veſtro in ſinu ſcintillas ſuas natura concluſit, ſciebat videlicet aliquando vos etiam amatura; ſciebat natiuum gelu aliquando deflagraturum. Hic quaſi vero & loquentem Aloiſium, & lacrymantem lapides aduertiſſent, velut pijſſimo Iuueni morem gererent, vel vt nouo beneficio ſuis laudibus reſponderent; illi acerbiſſimum quidem, ſed amabiliſſimum ſpectaculum attulerunt. etenim ſiue caſus mirandarum ſæpè artifex rerum; ſiuè ſanctiſſimus Amor potius dulciſſima ſui teli cuſpide in exeſi lapidis fronte cruciati Numinis

vul-

vulnera expreſſerat. Languebant hic terebratæ manus: horrebant illic lancinati pedes: ſed inter plantas, ac palmas diuinum pectus ampliſſimo vulnere diſſiſſum in incerto reliquerat, doleretne magis, an æſtuaret? Cor cruore diſtillãs, & atrociſſima cuſpide dilaniatum corda omnia rapiebat, vt ambigeret Aloiſius, plus ne feriret, an feriretur? Gonzaga vero, Nimis durus es, inquit, lapis acerbiſſime, qui hanc ſpeciem ſuſtinuiſti! nimis durus ego ſum, ſi ad cordis in lapide vulnera non vulnerer, non lapideſcam! Quam falleris, qui duritie ſcopulos damnas? illi vt abirẽt in fletus ſuo cum pelago colliqueſcerent, ſed dolore firmantur in ſaxa; ita ſui amoris imaginem aut longius ſibi fouent, aut officioſius exhibẽt alijs. ò portus placidiſſime, in quo tamen tam crudeliter ſæuiunt tempeſtates; ò cautes beatiſſimæ, ad quas diuinus Amor alliditur naufragus. tum obortis vberrimè lacrymis parum abfuit, quin deſcriptam in ſaxo imaginẽ vel omnino deleret, vel deciduis ex oculo guttulis iterum velutivulneraret; ac ne iam pretioſa merx expoſita iaceret in litore, & ſaxum, & expreſſos in ſaxo dolores ſecum aſportauit. nunquã

tan-

tãta cupiditate conchylia ſua purpura ſpoliauit in pelago mortalis ambitio; quanta cruenti Numinis ſpeciem Aloiſij pietas excepit à ſcopulo. ò quam dulcia mihi videmini maria! ò quam mites arbitror ſcopulos! ò quam molles experior cautes! parcite huic pelago venti: abſiſtite Aquilones: cauete, tanta pietas exagitetur. Arride Cælum ſerenius, arridete ſidera, veſtrum Numen hic fixum eſt.

Sed iam propoſui vobis quà Ticini, quà Maris in Gonzagam officia. in illius alueo pericula incurrit, ſed innoxia: in huius ſinu dolores ſubijt, ſed ad delicias: in illa tempeſtate ſecuritas maxima, in hac ſerenitate lacrymæ vberiores. illic diffiſſa rheda, hic firma triremis: ſed eo in naufragio truncus occurrit, in hac tranquillitate Numen occurrit, ſed trunco pendulum.

Vos hic Iudices ſtatuo, AA; & Fluminis, & Maris officia æqua lance perpendite, & illius medio in impetu compreſſum furorem, & huius in lenta malacia cruciatus expreſſos; & Aloiſium ſuo illic in periculo tutum, alienis hic in doloribus naufragum. Ego interim vela contraho orationis in hoc flumine, &

in

in hoc mari, quæ tranſmiſi ſecurus, vel Aloiſio duce, vel comite. Dixi.

AER

ORATIO.

PRimò terras, tũ aquas emenſum, quaſi gradatim per elementa, contendentem ad Superos Aloiſium Gonzagam, hodie ſibi Aer vel ab inferioribus feliciſſima fraude rapit, vel ſponte ſubeuntem Superiora beatiſſimis amplexibus fouet. Debetur hæc regio mortalibus vniuerſis, qui, vt Plato luculentiſſimus autor eſt, inuiſis quidem alis, ſed celerrimis adornantur: licet illis euellantur pennæ, vt è Cælo decidant, cum naſcuntur, eędemque repullulent, vt Cęlum ſubeant, cum extinguũtur.

tur. Verum vt cunctis hominibus additę videntur alæ, ita Aulicis maximè, quos vel ambitio, vel adulatio citatiſſimè tollit in ſublime, ac Principis beneuolētia, velut aura ſecundior, & ſuadet altiſſima culmina, & inſuetis volatibus fauet. Ergo vt Aerem aſſequeretur, in Aulæ etiã faſtigio conſtituendum duxi Aloiſium; in quam nobiliſſimus puer vel euectus eſt à natura, vel inuectus eſt à fortuna. Ille tamen cum duplici in Aula verſaretur, ſiue in ſua, ſiue in aliena, in illa depoſuit ambitionem, in hac adulationem: quibus vitijs alæ, vt modo dicebã, Aulicis comparantur. In ſua ſponte deſcendit, ne caderet, in aliena attolli noluit, ne deponeretur. Hic tamen magnus, & illic; ac tum ſublimior, cum alas vel induere noluit, vel indutus vltro reiecit. Volantem igitur intuebimur Aloiſium, ſed ſine pennis, vel in Italia, vel in Hiſpania; ſiue cum regeret, ſiue cum regeretur; aut cum Aulicis imperaret, aut cum Aulicus ſubiret imperium. O quam fallacibus alis niteris inſana mortalitas! cum faſtigium architectaris, moliris pręcipitia. Tollere quidē, tollere, aſtrue gradibus gradus, aſſue pennis pennas; ſed caue eas tibi nectant

Aulici nexus,ac fraudes. Verũ ab Aloiſio diſce tolli quidem volatus, ſed ſine vitio,& illos ambitioſius (ſublimius videlicet)ſurgere,qui exuunt ambitionem. Sed rem ipſam aggrediamur.

Ex elementis Animantium Princeps Homo viliſſimum occupauit; illiuſque animum celſiſſimis inhiantem, neſcio quo conſilio humi tantum Natura defixit. Diffudit interea toto terrarum orbe ſpirabilem aerem, atque illum nubibus,ventis,tonitruis,imbribus, fulminibus dedit,vt crudeliſſimis dominis occupatum,negaret homini. Nos verò ſemper ducimus aerem, ab aere ſemper excludimur:ex hoc viuimus,in hoc viuere omnino nequimus: ac domicilij loco negatur hominibus, quo ſunt homines aſſiduè circũfuſi.Quid vultus erigitur,vt ſemper ferantur in aerem & oculi, & vota, in quo nulla ſedes mortalibus vnquam futura? Id obuerſatur oculis,in quod aſſurgere nefas eſt? Id ſtringunt aſſiduè manus, vbi pedes firmare non poſſumus? Et quo ſemper ambimur aere,hunc ipſum ſemper ambimus, ſed fruſtra;cum enim feratur mens in ſublime,in imo reſidemus,& infelici niſu aut non extollimur,aut extollimur ruituri?

Da-

Datur hic vnus auium pennis, homines ablegantur; in quo explicantur alæ, torpent brachia, atque ea ſarcina, ac tam duro pondere premimur, vt vel exonerari mortalis nequeat, vel in onus degenerauerit. Cogimur miſeri turpari puluere, luto ſordeſcere, & cum ſemper iter indicatur ad ſidera, aer intercluditur, quà iter agendum eſt.

Sæpè aggeres, ſæpè lapidum moles, ac ſubſtructiones coagmentamus, attollimuſque ſæpe naturæ miraculo: ſæpè artificum opera tranſcendimus nubes: ſæpè celſiſſimis turribus ita occurrimus cælo, vt erecta humo iam ſidera deprimantur; ſæpè Gigantum inſtar ex imis radicibus montes euellimus, vt impoſitis montibus celſa tectorum coronide aut ambiamus ventos, aut prouocemus, eoque conſilio aeris prouinciam, prope dixerim, occupemus. Tollimus igitur in altum columnas, pyramides tollimus (quò mortales non rapit ambitio!) in aerem inuaſuri, attamen ſæpè pondus, ſæpè materies obſtat & magnis molibus, & ingentibus votis: ſæpè in mortales mortalium manus armantur: ſæpè, vbi cætera deſint, vetuſtas paulatim deprimit quidquid extollitur, & æquat

ſolo quidquid, cum humi firmaretur, humum dedignabatur; vt aſſueſcant homines vel non ambire magna, vel ambita iam deſperare.

Vnus auſus es tu, Aulicis exemplo futurus, inſuetum, ac mortalibus vetitum iter ingredi Dædale? tu qui cæteris labyrinthum implicaueras, tibi alas adornaſti, contemptaque tellure, ac maximā libertatem æmulatus; qui tam ferus in cæteros inextricabiles parietum nexus inſtruxeras; tam pius in te velociſſimam pennarum licentiam architectatus es? Verum quid in fabulis immoramur? Intuere Indicos Reges pennis conueſtitos, & volucrum æmulos, pluma quidem, ſed non volatu; etenim inſolenti machinatione inaniter iactabundi, illas modò in turbinem faſtigiatas aſtruunt galericulis, modò criſpulas, pendulaſque diffluere cum crinibus iubent. Sæpè celſiore patagio ceruici circumducunt; ſæpè demiſſiore ſyrmate promittũt ad pedes. Hac figunt humeris, vt alas imitentur, hac vt talaria ſimulent, inſerunt plãtis. Cogunt brachia, cogunt crura plumeſcere, vt plumeſcat animus maximè, leuiſſimus ſemper, & per inania circumductus. Sed par venuſtas, ac decus noſtro

ſtro in orbe ſpectandum eſt . Adeantur præterita ſecula; cum Oſtrogothis conculcatis,cœpit Belliſario Duce in veterem virtutem aſſurgere Vetus Roma , Noua Veterem vel anteire vel æmulari. Tum(vt Corippus Africanus non ignobilis poeta autor eſt) plumis ſponte ſua non ſemel exutæ, iiſdemque artificiosè cōgeſtis, mille volucres properauerunt , vt Romano Imperatori ambitiosè ſubſternerentur. Iuſtinianus enim aut Romanas Aquilas ſpoliauit, vt Imperatoriam ſedem pennis inſtrueret,aut à Fortunæ,vel Famæ dorſo alas mutuatus, verſicolori,plumatiliq;ſtructura ſibi ſolium adornauit. Interim hæ vobis plumæ,Principes,indicant, quam facilè agitari poſſint regna, quam celeriter auolare.

Tam longa hæc vel in aere mora, vel de auibus mentio me in Aloiſium Gonzagam compellūt, AA.;adornatos alis Principes vidimus, quibus non deſtitutus eſt ſuo in Principatu ſanctiſſimus Adoleſcens. Quatuor illi Gonzaga familia ſubmiſerat Aquilas, quibus Iuſtiniani ſolium aut emularetur, aut vinceret. Quod ſi illum Gonzagæ Aquilæ defeciſſent , ſatis Aloiſium ſuis alis in-

ſtruxerat aut diuinus Amor, aut gloria. plaudebant interim popularis aura, & aulicorum dulciſſimi quidem, ſed perniacioſiſſimi ſemper afflatus, vt in ſublime raperetur, ac volitaret. Ille tamen ſe blandientibus ventis non credidit, qui vt ſecundiſſimi ſunt, ita leuiſſimi; aeriſq; faſtigia vel non aſſequi voluit, vel aſſecutus vltrò dimiſit: cum altiſſima ſemper quæque proxima ſemper ruinę ſint; & hi timendi ſint maximè, qui celſiſſimo è loco caſus fiunt. O Aula! ò lubricũ culmen! ò potentia! ò leuiſſimum decus! ò gloria! ò inſani volatus! Te quoque, Aloiſi, in hoc apice Natura conſtituit, locauerunt Parentes, Principes euexerunt. Tu verò è tuo faſtigio præcipitia, è tuo ſplendore viciſſitudines, è tuis pẽnis volubilitarem didiciſti.

Sed libet has rerum vices, hoc Aulæ lubricum, & plumatile imperium inter ipſas regias veſtigare. Exprimit hoc inter Aulicos quidem Princeps, ſed ab Aulicorum moribus alieniſſimus Seneca; ita Cæſarum afflatus gloria, vt felicitatis ſplendore nunquam perſtringeretur; ita in fortunæ rota conſtitutus, vt noſceret inconſtantem. Magni potius conſilij, quam ambitionis vir, & ita

inter

inter alta verſatus, vt caduca non ignoraret. Hic & Reges, & regna, & Aulā, & Aulicos miſeris volatibus ſimiles arbritatus, Icari caſum, & in Icaro Principum præcipitia metuit; quare vt ſe in tutum reciperet, in choro dulciſſimè cecinit.

Fata ſi liceat mihi — *Oedip. act. 4. chor.*
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephiro leui. Vela.
Alta dum demens petit,
Certat & veras aues
Vincere, ac falſis nimis
Imperat pennis puer,
Nomen eripuit freto.

Verum enim verò non per vna verba, ſed per exempla etiam eundum eſt. Reuocate quęſo vos in memoriam, PP., Friderici Secundi, maximi quidem, ſed crudeliſſimi Imperatoris facinora. Hic Sueuico genere, ac proinde barbaris moribus, non minus hominum cruore, quam regali purpura nobilis: præſtantiſſimus armis, ſed quibus non minus in regna, ac nationes, quam in religionem graſſaretur. clarus literis, illis tamen nō mitior factus, Italiam diu, et inter Italię vrbes florentiſſimam Neapolim tenuit, ex qua conſueto Principum more ho-

minem ſibi legit, à quo Rex ipſe regeretur. Leges ferebat cæteris Fridericus, ab hoc leges accipiebat: maximus Imperator, aſſuetus tamen eſſe ſub huius imperio: vincere, moderari nationes, hunc moderatorem venerari, & occulto ſub iugo premi: dominari palam, in abdito catenis aſtringi, ſeruire ſeruitutem. Nomen illi Petro de Vineis, qui aulicis artibus, & conſueta adulatione ita ſe in Friderici animum inſinuauit, vt ferum alioqui, ac barbarum Principem ſibi vni mitem, placidumque reddiderit. Mens illi verſatilis, & volucre ingeniũ: laborum tolerantia ſingularis: in inſpiciendis Principis ſenſibus mira ſolertia: in exequendis celeritas mira: conſtans, ac ſupra Aulicorum obſequia fides aut ſimulabatur, aut erat: animus palam cõpoſitus, ſed præclara ſub ſpecie audax, callidus, ſcelerum artifex: multiplex illi, ſed adumbrata virtus cumulandæ potius famę, quam animi ſtudio culta. Etenim inter milites fortis, inter ciues induſtrius, & viribus validus, & ingenio. Cæterum mira ſagacitate verſabatur illi natura, cum Cæſare demiſsè, ſuperbe cum cæteris; cum æmulis ſubdolè, cũ omnibus impiè. Sed vnum affectabatur

in

in primis Principis æmulatio. Non ita Polypos maria;non ita ſyluæ Chamæleontes multiplici colore,ſpecie,forma, geſtibus variant, vt cum apud Principem Petrus beneuolentiam aucupaturus,multiplex videbatur. Ebrius cum epulante;cum ſobrio ſiccus; iratus cum iracundo;tranquillus cum placido: In illius mœrore frontem ad triſtitiam caperabat, in lætitia explicabat ad gaudia: illius acerbitatem ſua duritie comitabatur, illius benignitatem comitate referebat.InFriderici laboribus ſudabat primus, primus in Friderici delicijs diſſoluebatur.Si fremerent arma, ſtringebat enſem; primus in prælio, poſtremus in fuga: ſi pax arrideret,ſagum deponebat;primus in toga, ſummus in otio. Iam verò cum leui Principe longæuus ipſe ſenex ita deſcendebat in nugas,vt cum ludente luderet, cum ridente ſolueretur in riſus, cum voluptuario molleſceret voluptate.Tam flexibili ingenio, tam verſatili voluntate, tam plicatili animo, tam volubili corpore eius ſeculi Protheus Petrus de Vineis ſe in Fridericum cõuerterat, vt in ſe conuerteret Fridericum,in cuius imaginem, in cuius formam aſſiduè conformabatur.

Quo artificio eas pennas induit,eos volatus explicauit,vt ſummo faſtigio cælo proximus videretur. Iam altiſſimè euectus deſpicere omnia, omnia premere, incipiebat; at tam ſublime maieſtatis culmen inſederat, vt vel Friderico par, vel maior Friderico ab Aulicis coleretur. Iam properabant nationes, ac ſupplices populi ſternebantur, propè dicã, adoraturi. Illius nomen, illius imago conſueuerat propemodum inter Cælites numerari:non ſermones,non verba; ſed ad illum fundebantur aut preces, aut vota. Fridericus ipſe,terror orbis, Petrum vnum vel ſibi proximum maieſtate venerabatur, vel validiorem potentia pertimeſcebat. Pendere cogebatur ab illo, quem in eam altitudinem ipſe vnus euexerat. Ea magnitudo Imperatoris ope ſurrexerat, quam Imperator ipſe à ſe partam minimè crederet. Hærebat orbis terrarum ſpectaculo attonitus; nationes ſe tantum vidiſſe mirabantur, mirabatur Fortuna ſe tantum potuiſſe.Sed ò breue fulgur gloriæ? O vitrei Principatus? ò volatica Imperia? alas dedit illi Fortuna, vt Icaro parem redderet;euexit humeris, vt deponeret. Etenim cum altiſſimè veheretur, plu-

ma-

matiliquè remigio nubes emenſus, ac Soli proximus, in puriores radios oculos niteretur intendere, repentè Imperatoris manu oculis captus eſt, atque inter priuatos amandatus. Caligauere illicò radij, ac maximus ille fulgor gloriæ, in quem omnium oculi intendebantur, diris tenebris tectus eſt, vt nec aſpici poſſet, nec aſpicere. Videlicet pijſſimus Princeps ſui familiaris ruinæ conſuluit, ac ne ille ſuum horreret ad caſum, lumina rapuit, ne ruinam intueretur. Nimis oculati feruntur Aulici, tum maximè, cum Principum gratia potiuntur; hic tamen inter omnes vnus oculis captus eſt, & qui in Friderici beneuolentia inueſtiganda tantum viderat, in eadem ſeruanda vel cæcus fuit, vel cæcus redditus à Fortuna; vt tum maximè Principis odium experiretur, cum ipſe cæcum amorem ſimulare coactus eſt: ò Fortunæ ludibria? ò potentiæ leuitatem? Volucris Dea profectò tu es, ſed quicumque à te fertur, eſt leuior. Cæca diceris tu, ſed qui te ducitur, ille certè caligat magis.

Admiſi vos, AA., in infeliciſſimum ſpectaculum, ſed partum felicitate. Petrus de Vineis medio in volatu deuolutus

tus in præceps, Icarus fuit, ſed vndas nõ habuit, in quas decideret; quippe cum oculorum iactura amiſſis etiam lacrymis. Hæ pennæ ſunt, quas Seneca metuebat; hæc inſana faſtigia, quæ ſemper petimus, vbi petimur ſemper; hic aer eſt mobiliſſimus cãpus, atq; apex agitatiſſimus, in quem maximo niſu tendimus, ex quo minimo impetu deturbamur.

Nunc vero aliæ me pennæ reuocãt, volatus alij, ſed faſtigio ſecuriore. Te quoque, Aloiſi Gonzaga, vel inuitum admiſit Aula, vel inuita detrectauit; quod artes haberes, quas ipſa non diſſolueret dolis; alas indueres, quas ipſa non lineret ceris; culmen aſcenderes, in quod ipſa non immitteret ventos. Contemplemur, A A., adoleſcentem vel in hoc lubrico ſtabilem, vel præcipitem ſine ruina.

In Hiſpanam igitur aulam Aloiſius ſua ex aula traductus, magnus Princeps maximo Principi obſequioſus, Didaco Auſtrio famulabatur. Hic primò terrarum orbis edidicit nullo non in loco adoleſcere poſſe virtutem. Dixiſſes aut aurum in puluere deliteſcere, aut in tẽpeſtate fluitare margaritas. Nec natiuæ

frau-

fraudes infecerunt ſanctiſſimum animum, nec beatiſſimam mentem ſordes aulicæ turpauerunt, nec apud illum pompæ in luxum, nec in adulationem officia; nec virtus in ſimulationem degenerauit; idque ſui ſpecimen dedit, vt regio conclaui ſemper admiſſus, maiorem Regibus præſeferret. Habuitque Hiſpana Maieſtas (hactenus in tanta amplitudine inauditum nomen) quod in puero admiraretur, Aula quod amaret in Aloiſio, licet aulicis artibus deſtituto, ac triumphauit (rarum decus!) de Principum voluntate ſimplicitas.

Sed miraberis hìc euectum tam altè Aloiſium, ſed ſine pennis; in tantam dignitatis excreuiſſe molem, cum nihil adulationis aut intuliſſet in Aulam, aut ab Aula didiciſſet; hæc enim infeliciſſimis ferè volatibus alas ſufficit. Nulli apud illum ad aucupandam gratiam vel ſimulati mores, vel compoſita verba, inter aulicas artes prima documenta: apertus cum Principe, intectus cum Aulicis; nec ſimulator recti, nec praui diſſimulator; virili conſtantia puer, ſenili ſeueritate. nullo riſu riſus, nullo ioco iocos proſequebatur; ſemper ſibi conſtans, ac ſimilis, & inter Aulæ Protheos

eodem ſemper aſpectu. Sed illud maximè mirum, & in puero nimis graue, & in Aulico nimis pium. Solus aliquando ſolo cum Principe Aloiſius, cum Rege aulicus, cum puero puer. Totus ille ad maieſtatem compoſitus, totus hic ad pietatem: ille vel puer ſua in Regia intentus ad regna, mortalis hic ſua in humo intentus ad ſidera: vaſtus illius animus ad alta ſemper aſpirans, ac ferè nimia, vaſtum huius pectus ad altiora tēdens, ſed non humana: in illius infantia neſcio quid grandius, in huius mortalitate neſcio quid ſidereum promicabat: illius nutus ſemper ad Imperium, huius geſtus ſemper ad Religionem conformabantur: Erectum illi ſupercilium, & imperioſum, demiſſus huic oculus, & lacrymabundus. Generoſa Principi frons, os auguſtum; verecunda frons Aloiſio, beatus aſpectus: ille aſſuetus magnis, ac verè regalibus, aſſuetus hic tantum pijs, ac vere cæleſtibus: ſibi nimium ille confidens, ſolum hic Numini; ille omnibus imperare, ac ſe non capere, hic imperare vni ſibi, ac ſe noſcere videbatur. Cum ergò ſub exitum Autūni tecto repentè nubibus cælo magna vis imbrium rueret, ac vehementior

Au-

Auſter in Principis faciem feneſtris incumbentem pluuiam concitaret, puer offenſus audacia; cum omnia ſibi cæteroqui obſequioſa cerneret, cum ſuis nutibus famulari ſepè animaduerteret nationes, cum ſuos geſtus vbique à populis adorari non ſemel intuitus eſſet; maximo imperio ventum, ac venti minas aut abſiſtere iuſſit,aut cedere. Tantum, cum eſt in imperio audet mortalitas, imperare.

Vel tam inſana Principis verba, vel tam ludicras pueri nugas quo geſtu, quo plauſu,quibus eſſet votis aliorum adulatio,proſecuta? Quas ad Principis gratiam ineundam non adhibuiſſet artes ambitio? Fortaſſe Aulicus quiſpiam ad irretiendum regalem animum,cum Hyperboreis nationibus inter magica carmina implicatis,repentè nodis venti flamina conſtrinxiſſet. Quid non architectari voluiſſet ingenium? Quibus prodigijs,quibus fabulis Aulicus vel nō dempſiſſet admirationem, vel fidem non addidiſſet? Ille adijſſet nubes cum Icaro ad omnes caſus intrepidus, vt vẽtis occurreret. Inuidiſſet Orithiæ cum Borea præteruolanti, vt Aquilonibus imperaret; aut actus in inſaniam,cum

Aſia-

Aſiaticis populis caſtrametatus, armis inſtructus prodijſſet in campum cum Africo pugnaturus.

Tu verò quid hic, Aloiſi? hinc Principis beneuolentia, illinc Principis timor pectus ſollicitabant; ſed inter utrũque pietas arietabat in animum pulſũ ualidiore. Plauderes Principi? certa beneuolentia, turpis adulatio: caſtigares ineptias? non incerta ruina, pietas ſingularis: Quo te flecteres in hoc biuio? In apice ueluti fortunæ conſtitutus uidebatur; amor, inter æquales potiſſimũ maximus, Aloiſium in Principis animo penè defixerat; ijs ſe ſe uolatibus Principis gratia repentè ſuſtulerat, vt gratiſſimos quoſque non modo aſſecutus eſſet, ſed penè deſpiceret. Suggerebat igitur ſua uerba blandiſſima peſtis, ac dulciſſima animorum lena adulatio, quibus in uenti nomine ſibi auram, ſuiſque uolatibus compararet. Repetebantur memoria obſequioſiſſima carmina, quibus famulatæ Principibus auræ perhibentur.

Tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Contra verò ni adulationibus paruiſſet, ſe in hoc uento, tãquam turbine aliquo, aut

aut ſubita tempeſtate è tam alto beneuolentiæ faſtigio illicò deturbandum: ſpoliandos alis humeros: numerandum ſe inter infelicitatis exempla, Seianos, ac Beliſarios: hac aura Principis amores non fouendos, ſed reſtinguendos. Dum hinc adulatio, illinc veritas in adoleſcētis animo deſcenderent in arenam: dum inter ſe ſerenitas, ac tempeſtas tam leui diſcrimine diſſiderent: dum fortuna, infortuniumque minima veluti linea diuiderentur: nec blanditijs delinitus, nec territus minis, Aloiſius Principis nugas riſit, inſanias caſtigauit: poſſe Principem multa, non omnia: noſceret ſe licet inter mortales maximum, tamen mortalem: vel hinc ſe puluerem crederet, quod vento agitaretur. O animos contra Regem quidem, ſed vere regios? ò pectora? ò robur? ò in tanta leuitate caſtiganda conſtantiam verè marmoream? ò vocem, ò libertatem, cui ſemper inuideant Aulici, quam nunquam aſſequantur? Hæſit hic adulatio miraculo attonita, non aſſueta videlicet tantæ libertati. Hæſit Fortuna, & cum Aloiſij volatus incidere niteretur, admiratione defixa, ſibi torpere manus animaduertit. Hæſit Regius adoleſcens, & qui nuper

petitus fuerat à vento, iterum ſenſit ſe verbo crudelius peti, quod vento dedurcebatur; miratuſque eſt ſua illic imperia non audiri, hic audire ſe, ſua imperia iam nulla eſſe. Et, quod in Principe, quod in adoleſcente miraberis, delectatus eſt ſe premi; & qui in ventum exclamauerat, hic vocem preſſit: qui in tempeſtatem exarſerat, hic animi tempeſtatem aut agnouit, aut deliniuit. Tum ad Aloiſium: Probe, inquit, vbi ego non eram Rex, tu Aulicus eſſe noluiſti. Gaudeo, te primum Duce, in Aulam inuehi veritatem: tuum animum tam firmum fuiſſe, vt hoc vento non quateretur, tam pium pectus, vt adulatione non flecteretur. Interea mea in te beneuolentia ab hoc vento, cauebo, ne mobilis ſit; dū tu leui vento concuſſus, leui fide non viſus es. Diſcite, Aulici, diſcite, quibus artibus amor in Aula comparetur, in Chriſtiana maximè, & in Hiſpana. Suo in faſtigio Gonzaga ſtetit ijs artibus; quibus erectus erat; pietate ſcilicet, ac religione. nunquam ſtetere tantum vitia, nunquam tantum potuere.

Hoc poſt telluris officia, poſt aquę benignitatem, hoc, inquam, in aere Aloiſij imperium fuit; vbi, cum nullum homi-

minibus eſſe nouit imperium, Regibus imperauit. Tam alta faſtigia aſſecutus eſt, tam ſublime culmen inſedit, nouo prodigio in aere non leue, in vento non mobile, inter omnium præcipitia firmum, ac ſtabile.

Ignis nunc ſuper eſſet, vbi Aloiſius illuſtriſſimus fuit, iamque parabantur incendia, licet æſtiua in tempeſtate, fortaſſe non ingrata. flammis tamen pepercimus, quod ſatis vobis exardeſcerẽt corda; nolui enim in eos ignem inferre, à quibus eram potiore conſilio ignes mutuaturus. Dixi.

B. STANISLAVS ET PVLSVS,

Et repetitus à Fratre.

ORATIO.

CVm inter æſtiuos ardores, ac brumalia frigora medius ſeſe iam Autumnus immittat, PP., vel vt hoſtilia temporum odia longiſſimè diuidat, vel vt hoſtiles temporum animos benignè componat: propulſatiſque illae ignibus, hac niuibus accerſitis, nec ab his rigeat, nec ab illis incendatur: cum hoc ego tempeſtatum propè dixerim feciali, inter flammas, & glaciē: inter odia ſcilicet, & amores diſiunctiſſimos fines nō inuitus ingredior.

Sta-

Digitized by Google

Stanislaus, & Paulus Koſtkæ Sarmatici adoleſcentes, inter ſe, & coniunctiſſimi, & diſiunctiſſimi occurrunt animo; eodē creati ſanguine, iiſdem adulti ſedibus, ablegati iuxta patria, atque apud exteros exulantes, vt inter ſe pluſquam exteri diſſiderent. ſed ea fuere diſſidia, vt ſtatim componerentur: ea fuerunt odia, vt viderentur fratrum, hoc eſt amantium. mira inter illos ſtudia, maximæ in ſtudijs iræ; cum tamen vtraque accenderētur ſubito, ſubito extinguerentur. Ergò ab amantiſſimo fratre pellitur frater, vt ab eodem illico repetatur; atque ablegatur domo, vt conueniatur in ſyluis. verum qui ſtudioſiſſime petitus, diligētiſſime inuentus eſt: cum ſiſtitur in conſpectu vel non excipitur, vel dimittitur; & tamdiu cum fratre verſatus, à fratre repente non noſcitur. denique qui viuus expulſus erat, mortuus cōtinetur: cuius diſplicuerant mores, amantur cineres; & Stanislai vitam Paulus æmulandam ſibi proponit, vitam nuper cum eodem ducere dedignatus: & extincti fratris imaginem dulciſſime amplectitur, qui fratrem nuper crudeliſſimè conculcarat. Inter has & beneuolentiæ vices, & odiorum, inter hęc iræ, amoriſque pro-

digia verſabor hodie cum Paulo, cum Stanislao. Verùm vnus non omnia proſequar, ſed bina vel diſſidia, vel amicitias bini oratores inter nos partiemur. obtigit illud mihi: Stanislaus à fratre & pulſus, & repetitus. Vtinam interim cum à fratre pellitur, ad me properet; cum veſtigatur à fratre, à me Stanislaus inueniatur. Sed rem poſtulat Oratio.

Ludit in hominum ingenijs infinita varietate Natura, quæ vel in herbis, vel in arboribus, & in auibus, & in belluis ſemper ſibi conſtans, ac ſimilis eſt; quaſi multiplex illic eſſet, hic vna: hic eadem, illic alia: æquabilis alibi, alibi tortuoſa: ad concentum hic omnino compoſita, illic diſcors, & inconcenta.

Quamobrem roſæ, roſarum feraces ſunt: lilia, liliorum; à quercu, quercus educitur; & cedrus à cedro: illorum pulchritudinem nata germina, harum fortitudinem conſiti ſurculi nunquam non imitantur; generis illa ſuauitatem aperiunt, hi vires generis præ ſe ferunt; vt illa cum genitoribus ſeneſcant illicò, ac defloreſcant; hi cum parentibus iuueneſcant ſemper, ac floreant. Nunquam à Luſcinia ineruditus pullus excluſus eſt, nunquam ab Accipitre pius, nunquam de-

deſidioſus ab Aquila:quaſi rerum noua-rum tædio, vel incuria eadem ſemper repetente natura, atque eodem exemplo ſingula architectante. eodemque pacto ex timido genitore, pari timiditate gignitur ceruus: ex audaciſſimo parente, gemina fortitudine concipitur Leo: ex prudentiſſimo ſanguine, ingenio ſimilis venit Elephantus: hic ſibi prolem magnitudine comparem procreat, ille viribus, alius ignauia. è duro genitore ferrea ſoboles, crudelis ex implacabili, ex miti placida generatur.

Ita ſimilitudinem omnem inter belluas Natura conſumpſit, vt nihil mortalibus, niſi diſſimilitudo ſupereſſet. tota illic in fœderibus componendis, hic inſerendis diſſidijs tota. Auguſtum ſceleſtiſſimi nepotes conſequuti ſunt: Ciceronis occaſum ſtolidiſſima proles excepit; atque illius facilitas, huius ingeniũ ab immanitate poſterorum, vel tarditate ita deleta eſt, vt illic ab homine, ac principe monſtra, belluaque, hic ab elegantiſſima planta truncus, ac ſtipes extiterit. Eodem pacto inter fratres mira diſcordia: alterum bello miraberis, alterum literis aſſuetum: hunc pium, hunc impium: alter inflammatus erit ad

gloriam , alter pronus ad voluptates. Parco cæteris,vbi Paulus,& Stanislaus gemini fratres tam diſpari ingenio, in hoc veluti theatrum producendi ſunt. minus inter ſe diſſident ex animantibus agni,lupìque:minus aquæ, & ignes ex elementis:ille acri,ferocique ingenio in contumelias ſæpè prorumpēs,hic miti, placidoque, & ad conſtantiam ferè cõpoſitus:ille inter æquales, hic inter pares; ſed ille petebat æquales non tam ab ætate,quam à ſceleribus; hic pares veſtigabat non ab annis,ſed à virtute:vterque amoribus irretitus,ſed non vterque ſidereis,tàm rectus hic ad aſtra, quam ille pronus in ſolum;itaque aurum Paulus,argentumque parare pariter, & effundere,ſiue iuberet fas, ſiue nefas:Stanislaus tantum capi auro,quantum non manibus ſtringeret,ſed pedibus conculcaret,& diuitias, & diuitiarum aſſeclas turpitudines iuxta peroſus: ille delicijs emolliri, aduerſus delicias hic obfirmari:ille trahi voluptatibus: hic obſiſtere: alter canibus,plagis, campis aſſuetus,& nemorum amator, ſed non ſolitudinis: alter rarus in publico, ſecretus à turba, nec tamen ſolus, quippe Cælitibus comitatus.ſæpè vtrumque reuocant ſyluę,

ſed capitur hic ſyluarum ſilentio, properat ille, ſed ſyluarum ſilentia fremitu turbaturus. facilè tam diſſona ingenia, ac diſpares omnino mores in diſſidium eruperunt: facilè aut idem fluuius aquas in gemina diuortia diſſipauit; aut Iordanis inſtar puriſſimæ vndæ in turbulentum lacum immiſſæ, impermixtis fluctibus è lacu incolumes euaſerunt. Etenim illius vitia ad huius virtutis aſpectũ erubeſcere cogebantur: huius virtus illius vitia non poterat vel ſine vocibus non caſtigare. pudori erat Paulo, quòd ſua procacitas, niſi ſpectaretur, ſpectari poſſet à Stanislao: dolori erat Stanislao, quod ſuus pudor ſpectari deberet, nec ſpectaretur à Paulo. illius licentia ad huius grauitatem veluti continebatur: huius grauitas ad illius licentiam, ne laxaretur, ſeuerius erat præferenda: nec amplius ille ſcelera obtegere, nec amplius hic inter ſcelera verſari poterat. ille in iuuentute nimis iuuenis, hic in adoleſcentia minus adoleſcens: ætate diſpari parum, longè diſpari ingenio: contendebant ſine clamoribus, ac ſine gladijs digladiabantur. mirabaturque ſubinde Paulus ſe premi à Stanislao ſine iugo: ſe contineri ſine repagulis: ſe

fran-

frangi ſine baliſtis. Solueretur in iocos? componebatur hic ad ſeueritatem. indulgeret cantibus? in lacrymas properabat. inſtrueret epulas? lambebat cineres. maderet vnguentis? puluere turpabatur. aurum, ac gemmas indueret? mutabat hic vellera, ac ſordibus incubabat. Quis diutius eadem in cauea, & Leones, & Damas includat? quis tam diſſona ingenia longius eodem nexu componat? ò ſemper infeſta virtutibus, vitia! ò pietatem nunquam non agitatam!

Paulus igitur & fratris virtutem, & fratrem exoſus, tandem aliquando male mulctatum liminibus expellit quidem, ſed fortaſſe non expulſurus. expellebat illum aſſiduè moribus à ſanctiſſimo iuuene tam alienis: tamen conſiſtebat, fortaſsè conſiſtet etiam, licet iurgijs expulſus, ac plagis. Verum aut prudens Paulus, aut inſcius exturbauerit Stanislaum: exulat illico beatiſſimus adoleſcens certus Numinis, incertus ſui; tam magno animo nunc ſubiturus exilium, quam magno nuper ſeruitium tulerat; hoc preſſus eſt apud fratrem, illo premitur ſine fratre. O ſanctiſſima Innocentia, quam deſtituta præſidio, quam inermis es! quam facilè & opprimeris, & confo-

deris

deris non modo manu,ſed etiam lingua. minus patent ictibus nuda membra,magis tuta eſt infirmiſſima infantia. ò quā inualidiſſima quæque in te valida, ac fortia ſunt! creantur tibi pericula & à tuis,& ab alienis: & facilè oppugnaris, quod non repugnes: facilè impelleris, quod non fulciaris: facilè premeris, quod non exurgas. Ergo pellitur Staniſlaus,atque illi apud fratrem locus nō eſt, apud quem impuriſſimis ſeruis eſt locus, apud quem turpiſſimis æqualibus,ac fortaſſe lenis, lenonibúſque:ſed excedat,expellatur, exulet.qui tecto caret,tegitur Cælo:cui vrbs vna intercluditur,totus terrarum orbis aperitur.carebit fratre,ſed fratris etiam carebit vitijs.ſatis beatus in ſolitudine, quod ſecū eſt, quo non facilè in turba meliorem inueniet. Tibi vero ò quantis lacrymis Paule,quantis gemitibus Staniſlai fuga redimenda eſt! ò quem ego ſqualorem, ò quem luctum intueor! minori quidē, cariſſimorum funera,amici, minori liberorum,parentes,parentum liberi dolore proſequuntur,quam tu proſecuturus es fratris fugam. Sero tandem animaduertes infelix, ſua merce viduari nauem,concham ſua margarita: te, tuis ocu-

oculis,tuo decore, tuis delicijs omninò nudari. Iam domi ſine illius feſtiuitate, nullus eſt lepor: ſine illius gloria, nullus eſt honor: ſine illius ſplendore, nullus eſt dies: & quod potiſſimũ plores, ſine illius lacrymis, nulla sũt gaudia: ſine illius religione, nullus eſt cultus: ſine illius ſacrario, nulli ſunt Cælites.

Aduerterat interim Paulus fratrem aufugiſſe: quo ſe miſer vertat? quid moliatur? iam norat quid amiſerit, quid admiſerit; & nocte veluti preſſus nouit, quod ſit iubar iam conſepultum; ſucceditque ſceleri cognata ſceleri ſæpè, & pœna, & pœnitudo. amabatur, qui diſplicebat: pietas erat, quæ moroſitas videbatur: religio, quæ ruſticitas, ſedatiſque furoribus ſeruitij loco habitus Stanislaus, iam frater erat. laudabantur in illo, quæ nuper improbabantur: diſplicebatque ſibi Paulus eo tantum nomine, quod ſibi dulciſſimus frater diſplicuiſſet. Tum hæc ſecum identidem: quẽ vexaſti crudelis lingua? truces oculi, in quem exarſiſtis? quem non amaſti, ferinum cor? horridæ manus, quem expuliſtis? meum decus, delicium, ſpiritus, vita, Stanislae vbi es? qua vrbis parte frater ſuauiſſime, te fugientem ſequar? qua

domus

domus parte latitantem te veſtigabo? Heu,& vrbis, & domus pudet, & mei; quacumque enim pergam crudelitatis meæ, tuę exempla virtutis intueor.hic à me verbis vexatus es: hic flagellis appetitus: hic lacrymantem ad mea te vulnera, hic exardeſcentem ad mea vitia ſępius intuitus ſum: eo è ſolario ſpectabas cælum:in id gurguſtium vocabas Cælites.vbi te non noui! vnde te expuli, vt tuo cum exilio à me Cælites etiam exularent! in hoc angulo flectebas Superos precibus, vbi nunquam flectebar ego: in illo pellebas Cerberum, vndè ego Cerbero ſæuior expuli te.hic denique ad cæleſtia gaudia plorabas tu, ridebam ego,cui & tu ignotus eras,& cęlum.Quid mea vitia ſibi non vindicauerunt? ſecurus inter exteros Stanislaus fortaſſe nunc eſt, qui cum fratre non fuit:felicior crudeliſſimè eiectus, quam tanta crudelitate ſeruatus. apud alienos liber,domi preſſus ſeruitute,& inueniet in proxima Hercynia mitiores truncos, vrſos placidiores, quam in patrijs ſedibus fratrem inuenerat.ò me miſerum, atque infelicem! ergo ſine te viuam, Stanislae? ſine luce ſcilicet,ſine oculis, ſine vita. viuam ſine te,Stanislae, & vi-
uam

uam ſine me, qui omnis in te iam ſum. excesſiſſet ſaltem, ſed non expuliſſem: perdidiſſem, ſed non proieciſſem. eſſet aliquod dolori ſolatium, in culpa non eſſe. Verum debuit ille auolare, in cauea continebatur: debuit aufugere, captiuus erat: ego vero amittere debui, quod negligebam: dimittere, quod, licet frater, non notus erat. O ingratiſſima lux, quæ cum Stanislao mihi non fulguras! ò ingratiſſimæ tenebræ, quæ mihi rapitis Stanislaum! acerba vita eſt, quæ tam dulci cum fratre non colitur: acerba mors, quę ab inimico fratre, pœnas de expulſo fratre non repetis.

Verſat interea hac, illac ignarum conſilij pectus, tandemque vt ducatur ad ſanctiſſimum fratrem, hoſpitis manu ad ſceleratiſſimam Sagā deducitur; poſt maximum ſcelus, maximo ſcelere irretiendus: peſſimè expulſum fratrem, nunc peſſimè petiturus. Quò pergis infelix? Cælo ducitur Stanislaus, quid reſponſa petuntur ab inferis? nuper ille fugauit Cerberum, quid fruſtra à Styge petis auxilium? Cælitibus comitatur, quid Manes ad prædam reuocas? puer eſt, quid adhibes terriculamenta? pijſſimus puer, quid impiè veſtigatur? ſi reſi-

pui-

puiſti,quid Tartarum cies? niſi reſipuiſti, quid ſanctiſſimum fratrem repetis? an cum præteriti pœnitet, noua moliris? cum damnas crimina, criminibus implicaris?ò inſana conſilia! cum benigne fratrem quæris, fratrem crudeliter inſectaris;ac longius à te remoues, cum exoptas;ſæuius enim cum illo agitur,dũ ſtygia carmina adhibentur, quam contumelioſis verbis actum ſit cum eodem. męret ille,cum petitur,qui ridebat,cum pellebatur. inter maledicta ſecurus, inter maleficas lacrymabundus. Certus tamen cõſilij Paulus fratris ſtudio, Superum odio docetur à Saga,quod ſanctiſſimus puer iter inſiſtat, quam itineri feliciſſimo metam conſtitu at; citatoque curſu exulantem reſtituere nititur, intercipere fugientem, magnoque,& comitatu,& armis inſtructus, quaſi vero non fratrem peteret, ſed vel hoſtibus in campo,vel in nemoribus feris occurreret,feſtinat ad Stanislaum. quem benignè dicitur petere, ſed arma vim indicabant: domum dicitur reuocare, ſed apparatus ille vincula potius, & carceres portendebat. properabat interim Stanislaus ſecurus,cum fugiebat: properabat Paulus timidus, cum ſequebatur,

tur. ille precibus Cælites fatigabat: ſollicitabat hic carminibus Manes: illius lumina Cælo fixa, vnde ſpes omnis glorioſiſſimi itineris; huius animus Stygi deditus, vndè cuncta expectatio occupandę prædæ. vterque feſtiuus, & qui fugiebat, & qui fugauerat; hic tamen, vt ſiſteret greſſum; ille, vt properaret. Stanislaus, & cum Deo, & ad Deum: Paulus ad fratrem, ſed cum militibus: petebat hic piè, quem impie nuper expulerat: fugiebat ille iure, à quo iniuria ablegatus erat, germanum hic lacrymans veſtigabat: germanum ille lacrymans declinabat; cum tamen dolor ab altero, ab altero gaudium fletus eliceret.

Interim anhelantibus equis, ac citatiſſimo curſu euaduntur vrbis anguſtiæ, campus inuaditur, leuiſſimoque rotarũ flexu ita rapitur currus, vt vix vngulæ pulſum, vix orbitæ pondus aut excipiat puluis, aut ſentiat. optata præda iam eſt in conſpectu: fratri iam frater incubat: premitur Stanislaus. Puer occupatus indagine, curru, militibus, fratre preſſus quid agat, Auditores? certet pugna? vnus erat, & inermis. fugam arripiat? tardior erat, & laſſus. ſiſtat? intercipitur.

occu-

occulat? nullæ latebræ.fugam precibus impetret?quę preces ad fratrem valeāt, fuga magis exaſperatum? ſe ne fratri permittat,ac dedat? ergo iterum ſubibitur ſeruitus,ruinæ,plagæ? iterum inter illecebras vitiorum verſabitur? deſiſtet à nobiliſſimo conſilio, & Deum tam familiarem in fuga deſtituet?

O Superorum benignitas,quam præſens es! citatiſſimæ rotæ conſiſtunt: equi detrectant imperium: iuſſi greſſum facere,in auras inuadunt; quod ſi currerent,rotæ non ſequerentur; cum nec equi rectori pareant,nec equis rotę. illi ad agitatoris vocem immobiles, hæ ad equorum impetus non agitatæ, mitiſſimi nuper illi,hæ nuper agiles: nunc equi fræna non patiuntur,nunc rotæ in præcipiti immobiles ſunt. ò benigniſſima Cælitum dextera, quam properas, vt ſiſtas! quam concitaris,vt firmes! ò placidiſſimæ animantes tam difficiles nunc rhedario, tam faciles Stanislao! ò currus feliciſſime tūc melior, cum es ſine curſu! ſuppudebat equos fortaſſe, ſuppudebat rotas,aut vngula, aut orbita Stanislai glorioſiſſima veſtigia tam firmiter in laudem impreſſa vel leuiter conculcare, vel omnino delere.ſuppu-

debat celeriter percurrere, vbi & notãda ſingula, & ſingula commendanda. Cæterum quam diſſimilis currus hic fuit in adoleſcentis conſpectu, ac ſolaris currus agitatus ab adoleſcente. ſeruauit ille Stanislaum: hic perdidit Phaetontẽ: ille nimis firmus ſuo in itinere: hic nouo in itinere nimis celer. Sed ruina hæc è Cælo fuit: hæc ſalus facta eſt à Cælitibus. quid non poteſt innocens virtus! quid non patitur effrænis audacia! Tu vero ediſce, Paule, facilè amitti bona, non facilè repeti: & momento ruere poſſe, quæ ſeculis vix exurgunt; cum cita in perniciem natura ſit, lenta in medicinam. nulli ſunt caſſes, qui feram implicent: nulla celeritas, quæ præuertat fugitiuum; vel ſi ſint caſſes, explicabuntur: ſi ſit celeritas, illa citò vel deficiet, vel conſiſtet.

Hic Stanislaus eſt, AA., & pulſus, & petitus à fratre: exturbatus domo, veſtigatus in ſyluis. Agnouit illicò Paulus, quid perdidiſſet; ac tum vidit Stanislaũ, cum Stanislaum non habuit, vt nos interim ab illius inſcitia doceamur, quæ noſtræ gloria familiæ ſit, quæ tanto ſtudio petitur ab eo, qui tanto ſtudio repetebatur; monemurque occupare ſapien-

pienter illum, qui tam inſcitè pulſus à fratre eſt: illum diligentius continere, qui indagatur tam curioſè. Cæterum proxima dies cæteras vobis Sanctiſſimi Adoleſcentis laudes exponet; nequijt enim illas ſuo ambitu lux vna complecti, quibus nec ipſa ſecula ſatis ſunt.

Dixi.



B. STANISLAVS

INVENTVS A FRATRE,

Nec exceptus.

ORATIO.

MAximo nuper animo, fortiſſimoque conſilio fuga à Sarmatico adoleſcente Stanislao Kostka per ſyluas inita, aut frænatis equis, aut conſternatis magno prodigio nobilis, proximo Oratori memorata, mihi prodigio præſtantiore nobilior obijcitur, PP; illic ocyſſima rheda puero tardior, hic fratri frater, ſocius ſocijs incognitus fuit: hic oculi præſentem nō intuentur, illic equi vicinum non aſſequuntur: inuētæ hic latebræ ſine caligine, illic in præcipiti fuga moræ: potuit hic videre frater, ac non videre, potuit

illic

Digitized by Google

illic properare curſus, ac ſiſtere: illic quod frænarentur à Stanislao, agitatoris fræuum equi non audierunt, hic cũ occurreret Paulo, putabatur Stanislaus vel fugere, vel deliteſcere. Verum expreſſerint felicius equos, equidem latitantem aggrediar, & fratri incognitum Adoleſcentem, & illius medio in ſole tenebras aut inueniam, aut veſtigabo. Stanislaum igitur fugientem, Paulum ſequentem exprimam, & fratrem inuẽtum à fratre, ſed non exceptum. Sed antequam prodigium nobiliſſimum proſequar ſua in caligine tam illuſtre, altius aliquanto repetetur oratio.

Sæpe igitur primo ex infelicitate felicitas naſcitur, ab ærumnarum tenebris beatitatis fulgor erumpit. Sæpè cũ naufragium facimus, bene nauigamus, & fortuna nos in verticem rotæ tollit, cum videtur ſub rota comprimere. Quis crederet è vulneribus ſubinde ſalutem exiſtere? tamen ſucciſæ ferro plantæ felicius pullulant, & terra aratro proſciſſa in lætiores herbas effunditur; atque inſtar Romanæ ſuis, parens è vulnere, quæ findebatur in ſulcos, aperitur in flores, faſtoſoque ornatu viriditatis aut cicatrices obtegit, aut ſibi plaudit de ci-

B. STANISLAVS INVENTVS A FRATRE,

Nec exceptus.

O R A T I O.

MAximo nuper animo, fortiſſimoque conſilio fuga à Sarmatico adoleſcente Stanislao Kostka per ſyluas inita, aut frænatis equis, aut conſternatis magno prodigio nobilis, proximo Oratori memorata, mihi prodigio præſtantiore nobilior obijcitur, PP; illic ocyſſima rheda puero tardior, hic fratri frater, ſocius ſocijs incognitus fuit: hic oculi præſentem nō intuentur, illic equi vicinum non aſſequuntur: inuẽtæ hic latebræ ſine caligine, illic in præcipiti fuga moræ: potuit hic videre frater, ac non videre, potuit

illic properare curſus, ac ſiſtere: illic quod frænarentur à Stanislao, agitatoris fræmum equi non audierunt, hic cũ occurreret Paulo, putabatur Stanislaus vel fugere, vel deliteſcere. Verum expreſſerint felicius equos, equidem latitantem aggrediar, & fratri incognitum Adoleſcentem, & illius medio in ſole tenebras aut inueniam, aut veſtigabo. Stanislaum igitur fugientem, Paulum ſequentem exprimam, & fratrem inuẽtum à fratre, ſed non exceptum. Sed antequam prodigium nobiliſſimum proſequar ſua in caligine tam illuſtre, altius aliquanto repetetur oratio.

Sæpe igitur primo ex infelicitate felicitas naſcitur, ab ærumnarum tenebris beatitatis fulgor erumpit. Sæpè cũ naufragium facimus, bene nauigamus, & fortuna nos in verticem rotæ tollit, cum videtur ſub rota comprimere. Quis crederet è vulneribus ſubinde ſalutem exiſtere? tamen ſucciſæ ferro plantæ felicius pullulant, & terra aratro proſciſſa in lætiores herbas effunditur; atque inſtar Romanæ ſuis, parens è vulnere; quæ findebatur in ſulcos, aperitur in flores, faſtoſoque ornatu viriditatis aut cicatrices obtegit, aut ſibi plaudit de ci-

catricibus. Effatum hoc Zenonis Cittici fuit, qui naufragio fortunis omnibus exturbatus ad Cratetem ſe contulit, vt philoſophicis præceptis informaretur, vſus maximo infortunio, vt ad beatitatem ſibi ſterneret viam; & pulſus à pelago in eum portum eiectus eſt, in quo nullis tempeſtatibus eſſet agitandus. Iure igitur Græcus Themiſtocles in exilio clamare ſolitus eſt: *Periiſſem, ni periiſſem*: cum inueniſſet exul patria, quod non habebat in patria, magnus apud Principes, qui nihili fuerat apud Populum, gratus exteris, ingratus ſuis.

Hinc, Auditores, licebit in Stanislaũ conuertere orationem. ille vix egreſſus infantiam extorris à patre, vix ingreſſus adoleſcentiam ablegatur à fratre, in patria paternis delicijs delectari non potuit, extra patriam fratris contumelias ſubire coactus eſt. pulſus è Sarmatia pulſus Vienna, illinc domo, hinc hoſpitio, pedes barbaras regiones, atque ignota itinera ingreditur: montes præruptis rupibus inacceſſos, campos intercluso aditu inhoſpitales, ſyluas belluis, vias graſſatoribus infeſtas obit, aut eſca feris, aut latronibus præda, dolor ſuis, ludibrium exteris mox futurus; inter

ter ignotos ignotus, inter hoſtes inermis, inexpertus inter fraudes, inter pericula inualidus, tamen nunquam beatior, quàm in diſcrimine, nunquam felicior, quã in anguſtijs. Cui claudebantur vrbes, illi Cęlum aperiebatur: cui frater infenſus, illum Superi amplectebantur. Propinabat illi Deus ignotis artibus nectar in lacrymis, atque ita moderabatur ſuſpiria, vt viderentur muſicis numeris dulciora; & familiari Sarmatiæ munere Sarmaticus Puer legebat mella de truncis, lac de riuis hauriebat, auream ætatem in ſua paupertate nactus, qui auream ætatem moribus referebat. fertur enim non ſemel in itinere Cælitum manu, Cælitum menſis admotus, vt vel in ſyluis non modo Principibus, ſed ne Superis quidem inuideret.

Sed illum, ſi adlubet, inter ſyluas aut contemplemur, aut comitemur. Iam proiecta elegantiore prætexta, ac labore phrygiano, ſeu ludicra tegete, ſeu trito centone delectatus, ſe in viam pannoſus, ac ſordidus dederat, turpi ſemicinctio nobiliſſimus puer indutus, ac ſciſſili palliaſtro. iam in galeri locum ſucceſſerat vilis cudo, in calceamentorum crudiſſimus pero; iam aurei tor-

quis,& aurati ſubcinguli vices pendu-la è dorſo reſtis ſubiuerat, vt paſceolum ſuſtentaret: abnuerant periſcelides plãtæ, abnuerant annulos manus, illæ greſſu grauatæ, hæ baculo graues, vtræque puluerulentę. Nulli colores adhibiti, niſi deſpecti ; nullæ lanæ, niſi vulgares, quibus oneraretur potius, quam ornaretur: ſolibus iuxta ineptæ, niuibuſque; quippe quæ nec à rigore munirent, nec calores propulſarent, aut leues nimis, aut nimis graues, non inuiæ ventis, & peruiæ radijs. Hic erat & inceſſus Iuuenis, & ornatus; vterque impar Stanislao, quà tenerrimo adoleſcenti, quà nobili, ſed non quà pio. Cum pedibus adderet amor alas, membra tegeret melius virtus, validè ſuperabantur mõtes ab inualido: impauidè traſmittebantur nemora à pauidiſſima ætatula: atq; interim ſubmittebantur colles, illius labores veluti miſerati: claudebãtur ſyluę, illius decora veluti comprehenſuræ, & in conſpectu inornati adoleſcentis vel herbæ, vel arbores pubeſcebant, vt ornarentur. ipſe vero lætus ſub ruſtica ſcena, iactabundus in viliſſimo tegmine, plaudebat ſyluis, à quibus admittebatur: ridebat ad ſordes, à quibus defor-

ma-

mabatur, gaudebant interim Campi ſuâ ruſtica inuolucra, ac viliſſima vndulata tanti fieri à Stanislao; eòque eius decora commendabant magis, quò minus ille decora ſectabatur: gaudebant ſidera ſanctiſſimum Adoleſcentem ita pro ſideribus perſonatum incedere. minus erat conſpicua turpi ſub pallio Philoſophia: minus grata Principum ſpecies, quoties plebeia ſub purpura, ac populari ſub ſtola in publicum procedebat. Dixiſſes duro, aſperoque ſub cortice ſuauiſſima poma concludi: dixiſſes inter ruſticas frondes, ſpecioſiſſima mala naturæ manu conſtitui. Nunquam meliora fercula Principum menſis admota ſunt, ſed fictilibus, lutoque diſpoſita: nunquam Cælitum effigies pulchriores viſæ, ſed excuſæ viliſſimo metallo: aut ſtillare lac videbatur è viminibus iūceis, aut roboreo trunco mella cōcludi. gratior tamen erat neglecta ſpecies, & pulchrior inter pānoſas illas, vt ita dicam, nubeculas radij præmicabant; theſauruſque neglectius habitus, ac prope dicam, incuſtoditus, magis & accendebat in prædam, & prædam ſuadebat. atque eo pacto quò Superum templa eò plus Religionis habent, eò plus venerationis extor-

extorquent,quò minus auro fulgurant, argentoque.quare non ſemel inter ſyluarum latibula ſpelunce non picturatis lacunaribus, auratiſque trabibus nobiles, ſed repentibus hederis, natiuiſque geniſtis,& comis adianti hac, illac temerè diſſipatis,implicatæ potius, quam ornatæ,nec Africanis maculis, & cruſtis peregrinis,ſed exeſo, rudique topho & extructæ,& concameratæ identidem veſtigantur; & in illis ruſtico opere fabricatos Cælites ſimplicius quidem, ſed piè magis deueneramur. Nam habet ſimplicitas plus decoris, ruſticitas plus amoris; & cum minus admirationis ingerunt, eò plus exhibent maieſtatis. Maior quippe videtur in rupe Iuppiter, minor in Capitolio; timeturque magis diuinitas in trunco, quam in ære timeatur. Sacerdotes illi paſtores ſunt,agna hoſtiæ;quæ cum incompoſito ceſpiti ſine popa, paſtoria manu procumbit, plus ſimplici nidore Cælites placat,quã in ara cornea centenis animantium capitibus per claſſes diſtributis Imperatorio ſacro flectebat Superos Hecatombe.ita Stanislaus inter ſpartea, propè dixerim,inuolucrã, ruſticarioque colobio deformatus,plus pietatis, & præfe-

re-

rebat, & ingerebat; & vrbanus inter ſyluas,& mollis inter aſpera, nec aſper videbatur, nec inurbanus; ſuis in ſordibus elegans, ſuo in puluere non deſpectus. Interim oculi madebant lacrymis in exilio,non pro exilio:mens flagrabat in preces pro germano, non in germanum.iam vero in propoſito firmus, infractus animo, cum maderet ſudore, plus inteſtinis facibus, quam laboribus ſoluebatur;& clamoſus, & tacitus, vel ore,vel corde,magna agitās,& animo, & pedibus; illo in laboris conſpectu nūquam perterrito, his ad labores ipſos nunquam inualidis. Ita carpebatur fuga,ſed lætior victoria qualibet, triumphoque. Nunquam glorioſius aut Metellus exulauit,aut Scipio: cum illo exulabat innocentia, cum illo gloria,à ſanctiſſimo pectore nunquam excedere conſuetæ.

Tu vero quid hic,Paule? Stanislaus properet,ſiſtas ne? in ſyluas ille,tu domi?te declinet ille,tu declinari te patiaris? adhuc ferreus,adhuc adamantinus ſis,& in fratrem? fallor, Auditores,ille nuper barbarus,mox humanus,præſentem exoſus,amauit abſentem.quare fratris diſſidio crudeliſſimè vulneratus, ac

nau-

nautarum inſtar, qui execrantur maria, cum nauigant, maria repetunt, cum sũt in littore; qui modo expulerat Stanislaum, expulſum proſecutus eſt; & quem in fugam coniecerat, à fuga conatus eſt reuocare, vel natiua adoleſcentium leuitate, eadem ſemper & amantium, & fugientium; vel vno fratris nomine, à quo, licet ſæuum, & horridum pectus, facere non poterat, quin identidem feriretur.

Quam ingenioſus es, Amor, & quam præſagus! luſcus fingeris, ſed nimis oculatus es: puer, ſed nimis validus: captus pedibus, ſed alas habes, vt id facillimè teneas, quò celerrimè contendis: nihil arduum Paulo, nihil imperuium, quod non adeat, & quod non ſuperet; ſine canibus omnia veſtigat, ſine retibus claudit omnia; nulla ſeruis fides eſt, nulla nuncijs, nulla ſibi, niſi oculato. nullæ fuerũt latebræ, in quas pedes non inferrentur: nulli aditus, qui diligentia nõ intercluderentur: nulla veſtigia, quę vel amanti nimis, vel nimis metuenti curioſè non notarentur. Iam velocibus plantis tam ſagaci amatori facilè & intercipi præda potuit, & comprehendi: in ipſo aditu fugæ deprehenditur fuga:

de-

deprehenditur conſilium in molitione conſilij. Etenim in eum locum vel amore Paulus ductus eſt, vel pudore, quo metuebat, ne vel in amando gelidus, vel in ſeruando videretur incurioſus; vbi cinctus indagine, ac laqueis propemodum implicatus, nequiret à fratris retibus, à fratris manu expedire ſe Stanislaus.

Erat iam in Pauli conſpectu Germanus: flagrabat in prædã ille, nihil agitabat hic, niſi fugam: ille in retibus tendendis intentus, hic in retibus explicandis: ille fratris amans, hic Numinis, quid faciat hic, AA? quid ille moliatur? reuocet ne Paulus, quem nuper expulerat? ſequatur ne Stanislaus, à quo nuper expulſus erat? Ille ne putet contumeliarum fratrem oblitum? hiccine putet fratris acerbitatem iam mitigatã? fratrem ille iterum ad ſeruitutem reuocabit? fratrem hic iterum dominum ferre poſſit? prædam ille in conſpectu poſitam abire patiatur? fratrem hic patiatur abire ſequentem tam ſtudioſe? Incaſſum ne Paulus ſecutus ſit? incaſſum ne Stanislaus aufugerit? Iterum tã diſcordes animi, tam diſſoni mores ſimul hoſpitentur? Putet hic illius odia,

iam

iam deferbuiſſe? putet ille huius amores adhuc exardeſcere? illa fera tam cito ſic cicur? tandiu patiens hic animus ſit? Has inter veluti mentis tempeſtates huc, illuc varijs fluctibus fratres agitabantur. Ille pudore ſuccenſus, hic verecũdia, quod fugaſſet, quod aufugiſſet. tandem inſcius vterque conſilij firmus in veſtigio conſtitit. Stanislaus interim fuſus in preces, ſed oculis in cælum intentis: fuſum etiam diceres in preces Paulum, ſed oculis intentis in Stanislaũ. Totus ad inuadendam rapinam hic, totus ille in opem à Cælitibus implorandam. fuerit olim crudelis Paulus, nunc erat pius; Stanislaus tamen pium olim putauerat, nunc crudelem, cum abſtraheretur à Numine, quod ſibi familiariſſimum nactus erat in fuga. Quis domum repetat, cum tot deliciæ in compitis ſũt? Valete vrbes, vale Auſtria, & Auguſtorum ſedes Vienna Imperatoria vale. Frater tum mihi dulcior, cum abire me ſiueris. Detur alibi viuere, cui tecum viuere non datum eſt. ſequerer te, parerẽ vtique, ſi frater eſſes; exuiſti fraternitatem, cum fratrem expuliſti. Cum tamen abduci ſe, rapi, ac vinculis pene obſtringi videret: Paulus (ò rem inauditam) quem

quem tam ſtudioſè veſtigauerat fratrē, vel captus oculis non animaduertit, vel immemor repente præterijt. quid agis infelix? in conſpectu præda eſt, quid hæſitas? fera tenetur caſſibus, quin præcludis? fugitiuum tenes, quin obligas? fratrem nactus es, quin amplecteris? quid iuuit laqueos tendere, parare retia? quid valles tanto labore, quid tanto ſudore montes aut tranſmittere, aut ſuperare? In ipſo fonte deficit ſitis, in portu non iacis anchoram? Videbatur Paulus hamo in altum iniecto, ac piſcatu iam felix; cum quaſi linea torpedinem implicaſſet, torpere ſibi manus animaduertit. Tantalus videbatur collo tenus in aqua demerſus, ac pomis ad labra pendentibus, nec fami ſedandæ par, nec ſiti reſtinguendæ. In fratris conſpectu cum fuit, amori proximus ſuo, potiri non potuit; & qui nuper à ſe exturbauerat Stanislaum, nunc ignota vi exturbatur à Stanislao.

Etenim neſcio quæ nubecula illum obduxit, neſcio quæ manus laqueos explicauit, neſcio quis aditus media in indagine apertus eſt; atque inſolenti prodigio cum fugientem Stanislaum peteret Paulus, fugit hic, ſtetit ille, nec præ-

dam è ſuis manibus euadere paſſus eſt, ſed occupata præda ſibi fuga conſuluit; quaſi inualidum venatorem imitaretur, qui cum laqueos leporibus tendat, ſi forte Leonem implicet, non lętus maiore venatione, ſed perturbatus, præclare ſecum actum putat, ſi poſſit ſibi fugã conſulere. Ita enim Paulus fratris aſpectu veluti conſternatus aufugit, vt ſe preſſum potius, quã prementem. Adiantum diceres aquarum amantiſſimum, & aquis nunquam non accubans, cum tamen nec aquæ mergatur vnquam, nec aqua ſe tingi patiatur: adeò, & ignotã cupimus, & nota faſtidimus, & fugientia ſequimur, & ſequentia declinamus.

Hoc pacto Stanislaus, quod initio dicendum ſtatueram, inuentus à fratre eſt, nec exceptus, aut præteritus Paulo, aut inuiſus. Etenim ſiue deformatus ruſticis veſtibus, ſiue pulchriore ſpecie, & vultu auguſtiore decoratus, aut infra fratrem, aut ſupra mortalem viſus: aut putari potuit alius, aut conſpici omnino non potuit. Verum aut deformior fuerit, aut pulchrior, vt idem eſſet, vt alius videretur, ſeu deformitas illa ingratã oculis, ſiue oculis maior illa pulchritudo; fratri Stanislaus incognitus fuit, cui

vel

vel deſpecta erat pulchritudo, vel venuſtas non appetita; quod elato ſupercilio nimis demiſſum illum negligeret, quod demiſſis luminibus hunc altiorem ſe nõ aſſequeretur. Ita frater infeliciſſimus ſanctiſſimum fratrem bis perdidit, & cũ expulit domo, & cum domum non reuocauit: bis non cognouit, & cum ſecum habuit, & cum inuenit. Cum modo ſe dignum non arbitratus ſit fratrem Pàulus, nunc Paulum fratre dignum Cælites non arbitrantur; vt eadẽ plecteretur pœna, qua vſus erat in Stanislaũ; quòd ex Poeta,

Patiatur quiſque, quod fecit ſcelus.

Dixi.

CÆLESTIS AMORIS VENATIO SED SINE CANIBVS, SIVE B. STANISLAO POST PVLSVM CERBERVM EVCHARISTIA Ab Angelis miniſtratur.

ORATIO.

EX vniuerſis artibus PP.vni venationi ſtudere ſingulos homines, Plato aſſerit in Sophiſta: colitur illa Principibus, colitur ſeruis; maximo pretio apud Senatum eſt, apud plebem maxi-

mo,

Digitized by Google

mo; non minus inertibus grata, quam gnauis; ab eruditis culta, nec à ruſticis ablegata. Ita inter tot omnium ſtudia, vnum in omnibus ſtudium eſt; inter tot ingeniorum diſſidia, ac diſcrimina animorum, ſine diſcrimine, ſine diſſidio par in ſingulis voluntas eſt, ac voluptas. Neque hæc feris tantum agitandis idonea; viles ſunt arbores, nulla ſunt nemora animis in prædam nobiliorem acceſſis. Intuere, vt in venationem gloriæ ambitioſus impellitur, in argenti venationem auarus: venatur Tyrannus, cum prouincias occupat: venantur Prouinciæ, cum repetunt libertatem: caſſes tēdit ingenium inter ſtudia literarum: retia explicat delicatus in aucupio voluptatum. Verum in hac venatorum turba ſiderum amatores venantur inprimis, ac diuinus Amor præſtantiorē indaginem ſuis, ac meliora nemora perſuadet. Vnus exemplo ſit Stanislaus, qui Viennæ tantum ſuis venationibus potuit, vt cæleſtem Cupidinem in ſua retia ſemel, atq; iterum traxerit; à Cælitibus primo ductum, tum à Parente; tectum ab illis, ab hac intectum, ſed non minus hic, quam illic amabilem, ac paribus flammis accenſum; licet illic ore

libauerit tantum, hic amplexibus etiam ſtrinxerit. Verum & in hac, & in illa venatione neſcio quid prætulit Staniſlaus, quo ſe non prætulit venatorem; quippe cum Amorem à Cælitibus datum occupauit, ſtrato Cerbero, venatorios canes amandare viſus eſt; cum eũdem à ſãctiſſima Parente traditum amplexus eſt, hæſit lectulo, nec venatorijs curſibus voluit agitari. Verum in hoc curſu ſiſtet alter orator poſtero die. Equidem venatorem meum ſine canibus præda potitum hodie veſtigabo: iuuat enim, cum nuper Caniculæ flammas September expulerit, in venatione verſari ſine canibus quidem, ſed non ſine flammis.

Solenne fuit bellicoſiſſimis gentibus laborioſis quidem venationibus, ſed iucundis, ac ſyluoſa inſtitutione, ſed non agreſti puerilem ætatulam informare; quare morum ille Magiſter Xenophon docturus potius Principes, quam Principem deſcripturus, inter venatores Ephœbos educatũ apud Perſas perhibet Cyrum; Perſarumque more è Lycurgi præceptis græcarum rerum periti apud Lacedæmonios fuiſſe commemorant, à quibus hauſerunt Itali for-
taſſe.

taſſe,quod vel iactant,vel fortius exprimunt Numani voce,

Venatu inuigilant pueri.

Ita videlicet vt aſſueſcerent ſanguini & ſuo,& alieno, vt laboribus non deficerent: vt ſpolijs inhiarent,in ſyluas nati deducebantur: vt in illis agitatione ferarum firmarentur membra teneriora: venationis cupiditate prædam inhiarēt præſtantiorē, ac ludicra pugna ad belli diſcrimina accenderentur; cum enim Martiales tantum animos inderent ſuis, putabant facilè gradum ex ferino ad humanum ſanguinem fieri; imbutum ſemel, ac decoloratum cruore ferrum, nullo diſcrimine & inter belluas, & inter mortales verſari; venationem in prælium, ſyluas in campum, canes in equos, in claſſicum cornua; venabula in pilum aut verti facilè poſſe, aut eadē hæc eſſe cum illis.

Hoc pacto ludus vocabatur ad ſeria; & pauidiſſima ætas natiuo timore ſpoliata,bellicos ſpiritus induebat;& duritiē à cautibus,à belluis feritatem edocta, quadam ſanguinis veluti affinitate innoxiam innocentiam impetu quodam inflectebat ad ſcelera. Adeò virtus,& vitia finitima ſunt,ac ſæpè ex illius præ-

 ſtan-

ſtantiſſimo ſemine turpiſſimam horum frugem elicimus.

Verum ſileatur hodie Mars, dum montanus hic noſter ſeceſſus vnam nobis Dianam vel præbet, vel indicat.

Quid igitur tu, Stanislae? hinc te Sarmatia peperit, hinc aluit Germania, ferociſſimę nationes. Incipe e veteri puerorum inſtituto ſyluas ingredi, luſtrare nemora, quò vel proxima Hercynię luſtra, vel patria Poloniæ teſqua te reuocant. Age iam te repetunt ſyluæ, te feræ non declinant; ſponte conſiſtunt damæ; vltro miteſcunt vrſi: illæ ne vitent ictus; hi vt excipiant, ambitione vulnerum, quæ cum tua tenduntur dextera, optata ſunt.

Pendeat iam ex humeris pharetra; oneretur arcu lęua, dextra miſſilibus; & ex ſubcingulo ferrum incipiat fulminare. Iam toto ſpargantur vertice ludibundæ plumæ, vt aucupium præferant tempora: manus captet venationem. Contende iam, quò te vocant aut pauore tecti ceſpitibus lepores, aut colle vagi: aut palabunda campis, aut nemoribus latitans præda: ſiue puriſſimis fontibus inhiantes Cerui, ſiue Apri ſeſe paludibus volutantes. Hic ſuſpendantur

retia,

retia;illic tendantur laquei; vbique circumſonent latratus canum; & clamores venatorum, vt excitatæ ſtrepitu feræ ſilentio conficiantur; & quæ parum prouocantur, incidant in inſidias, vbi dum fugiunt, à ſedentibus occupentur. Pendeant in primis multiplici ſtructura in lineam diſpoſitæ pinnulæ; vt ſtolidiſſima quæque animantium ad verſicolorem indaginem conſternata, metu ſeſe in caſſes imprudenter immittant, & in inſidias incidant, dum vitant inſidias.

Sed ò quam fallimur AA. præſtantiora nemora, ſyluæ nobiliores Adoleſcẽtem beatiſſimum rapiunt: ille ſyluas percurrit quidem, ſed vmbraculis non opacas; luſtrat nemora, ſed arboribus non implicata; feras agitat, ſed ira non efferatas; nectit inſidias, ſed non inſtructas dolis; venationi ſtudet, ſed non oblitæ cædibus. Campus illi, nemuſque cæleſte Elyſium eſt; pectus pharetram, arcus præcordia, tela ſufficiunt vota, ſuſpiriaque. Minor præda ſiderei lepuſculi; maior aut Vrſæ geminæ, aut Leones, Cælo etiam familiares. O prædam! ò venationem! Sed cæleſtes inter indagines, ac ſanctiſſimos dolos diuinus

Amor vnus in votis eſt; in hunc & venabula cominus, & eminus iacula contenduntur; in hunc nulla ex arbore non pendent maculæ, nullo in aditu laquei non implicantur: venatorij latratus in hac venatione preces ſunt, & venatorũ gaudia lacrymæ; quas, cum occupatur præda, voluptas elicit, cum nulla eſt præda, ſufficit dolor.

Hanc animo venationem agitabat Stanislaus, hanc identidem votis ardentius inuadebat; in hanc artificioſiſſimus textor, ingenioſiſſimus faber inſtrumenta comparaturus, nectebat maculas, arma fabricabatur; iamque notauerat quam Cæli potiſſimum partem ſanctiſſimus Amor, ſua prȩda, percurreret; quȩ fuga, quas valles vel ſaltu ſuperaret, vel curſu traijceret; quas plagas inſideret; & qua ſub arbore, quem ad fontẽ aut vitaturus ardores, aut ſedaturus, modò procumberet, modò properaret. Atque interim nouæ laudi noua arma erũt in promptu,

Retia rara, plagæ, lato venabula ferro.

ac fortaſſe canes in primis, non quos vel Sparta, vel Gnoſſus aut Tigride, aut Lupo genitos miſerat; nulla Moloſſis, nulla Hyrcanis commendatio: nulla

aut

aut Britannis, aut Corſicis, ſed Procyon ipſe ab aduſta ſigniferi plaga deſiderio inuadebatur.

Cum ecce tibi amantiſſimo Adoleſcenti, tantæ beatitati, tot amoribus anhelanti, compreſſo latratu deformiſſimus canis occurrit. Videbatur loco veniſſe inter vota venationis. ſed heu! non prædam hic, ſed venatorem aggrediebatur: horruit inſolito ſpectaculo Stanislaus, nuper per Cælum vagus, nunc in Tartara deturbatus, quorum monſtra in conſpectu erant. Apparebat enim deformiſſimam belluam è Styge properare: nam vmbras aterrimo corpore præferebat: illi fuligo pilos infecerat, oculos ignis accenderat; flagrabant viſcera, & teſtaturæ flammas ſcintillæ naribus erumpebant. Sedebant minæ fronti, terror luminibus, iræ faucibus, corpori furiæ; fulgur diceres, ſi quid luminis habuiſſent, fulmen, ſi poſſent Tartara fulminare. O Monſtrum! ò portentum! villi in angues animabantur, in draconem cauda, vt inferrétne venenum, an vt haurirent? Quid hic tu, Stanislae, non cum feris, ſed cum canibus luctaturus? quo belluam impetu propulſabis inualidus puer? qua vi lan-

gui-

guidus æger? quibus iaculis inermis,ac nudus? quæ ea eſt, vt procumbant aſpectu mortales, ne dicam impetu; cadant afflatu,ne dicam incurſu;minis pereant, ne dicam morſibus; tanta eſt in fronte toruitas,in oculis furor, in rictu rabies, mors in hiatu,tanta, inquam, eſt totius corporis ad terrendum deformitas, ad inuadendum celeritas, ad proterendum impetus, vis ad perdendum. At monſtroſiſſima bellua, vt Cerberum diſſimularet, tria capita in vnum coegerat, vel vt inſidiæ minori latratu non proderētur, vel quod ſatis vnum putaret puerū aggreſſuræ. Lapſæ erant aures,ac decidentes,vt gemitibus clauderentur. Expediti ad dilaniandum vngues,ſi patiēs eſſet furor,vt laniando moraretur: arrecti,horrenteſque villi, ne quid belluæ non in iras accenderetur: fauces anhele, aridæque, vt eſuriem & teſtarentur,& paſcerent. Putaueris tanto in diſcrimine Stanislaum prius perditum, quam petitum; atque ita exanimatum pauore, vt nihil hoſti relinqueret, quod vel laniaret, vel deuoraret. O fortiſſimum heroem! ò Sarmaticum Alcidem! cum ſtratum, diſcerptum, abſumptum momento crederes; ille teterrimum mon-
ſtrum

ſtrum vel inèrmis, vel debilis oppoſita Cruce fugauit, exterminauitque. At qua mente? qua non trepidauit; qua manu? quæ morbo languebat; qua voce? qua preces effudit; quibus armis? quibus erat deſtitutus. O victorias, ò trophæa eò illuſtriora, quò minus lucis habuerunt, cum conſtituta de vmbris ſint; quibus celebrandis nulla ſit lingua, cũ ſit tam feliciter hoſtis in Tartari ſilentia deturbatus. O nobiliſſimos triumphos, qui non cunctando parti, vt à Romano Maximo, ſed decumbendo: & quos albus color maximè deceat, vel quod nullo ſanguine turpata ſit ſtola, vel quod de tenebroſo hoſte victoria fuerit. Ducant alij ſpolia: maxima hìc ſpolia ſunt nihil apud Stanislaum de Stygio hoſte Stygium ſuperfuiſſe. Ducant alij Principes catenatos; maior hìc laus eſt fugatum Cerberum eſſe, non captum, ne vel captus lęderet, ſinõ viribus, ſaltem aſpectu. Salue ſanctiſſimum Labarum, à quo non vni Conſtantino, ſed meo etiam heroi palmæ ſunt partæ, non de Magorum Antiſtite, ac præſtigiatore Maxentio, ſed de pręſtigijs ipſis. Crux igitur meo venatori venabulum præbuit in horridiſſimam feram: Crux

meo

meo militi iaculum miniſtrauit in perditiſſimum hoſtem: Crux meo Herculi claua fuit in teterrimum monſtrum. victorem dixiſſes illicò Cerberum, illicò victus eſt, qui tenebricoſo colore ſibi tātam iacturam eſt ominatus, miratus interea fugari ſe Cruce non minus, quam conſueuiſſent Cruce plecti quotannis canes apud Romanos.

Dignus hic certe cæleſti Capitolio triumphus, cum præcipuè de cane ſit, quem perhibent excluſum è Capitolio: dignus hic templis, cum Cælo Duce ſit triumphatum. Interea Adoleſcens noſter ludicro illo venatore præſtantior, à quo Græci Poetæ perhibent, canes Sylueſtribus Dijs, Satyro, Pani, Nymphiſque ſuſpenſos,

αὐτοὺς τοὺς κύνας ἐκρέμασεν.

In illuſtriſſima venatione, quam in diuinum Amorem inſtituebat, canes aut fugauit, aut perdidit; ille tamen præda deſtitutus, hic cum maximè prædaretur.

Oppreſſis igitur feliciſſimè canibus, non tamen à ſua venatione deſtitit Stanislaus, ſed illam conficere aggreſſus eſt ſine canibus; quare ſua tantum ſolitudine ſyluas ſibi fecit, ingentibus votis

mon-

montes, ac ſaltus comparauit, ſuis deni-
que amoribus , flammis ſuis arma om-
nia fabricatus eſt in Amorem.

Iacebat ſanctiſſimus puer poſt ſtra-
tum Cerberum ſtratus ipſe , ſed non à
Cerbero; iacebat qui nuper vicerat, ſed
cæleſti Cupidine ſaucius: terga verte-
bat canis, à fronte inſtabat Amor , vt
qui nuper cum vmbra luctatus erat, hic
à flammis abſumeretur. Igitur intentis
in aſtra luminibus illum ipſum petebat,
à quo petebatur; veſtigabat illum, quē
corde concluſerat; torquebat in illum
ſagittas, cuius ſagittis & confici cupie-
bat, & iam pridem conficiebatur.

Cum ecce tibi citatiſſimis alis, & ma-
xima pulchritudine par Iuuenum aſti-
tit è ſideribus. O formam! ò ſpeciem! ò
decus! ò maieſtatem! Ambobus indi-
ſcreta pulchritudo, ſed in compari ve-
nuſtate diſpar aſpectus. Binos flores di-
ceres, ſi quidquam prætuliſſent fragili-
tatis: par gemmarum viderentur, niſi
gemmæ à ſolitudine dici mallent vnio-
nes: binos Cæli oculos nuncupares, niſi
non duo tantum, ſed Cælitum exercitus
ſuperis ſedibus alerentur: bina denique
ſidera dici poſſent, niſi illorum manus
ſidera omnia moderarentur. Audete lu-

mina,

mina, ſi quid eſtis: gaude lingua, ſi quid potes: aſpicite vos, tu loquere: minima occurrunt primo, vt paulatim aſſurgam ad maxima.

Pendebat ex humeris conſtricta nodo, gemmeaque fibula in multiplices ſinus complicata iuxta, atque explicata verſicolor palla, eadem ſemper, & alia, quoties leuiore vento criſpula hac illac fluctuaret, diuerſoque aſpectu aut obijceretur lumini, aut tegeretur. Pulcherrimum columbarum monile diceres, aut pauonum plumatilem pompam, omnibus vbique coloribus aut congeſtis, aut guttatim diſſeminatis eodem artificio, ſed textu vario, acu ſemper optima, ſed punctim meliore. Diſſipati vbique aurei, gemmeique baccarum, lapillorumque globuli, ambigeres, plus ne ſplendoris afferrent, an raperent? magis ne ſub illis decora veſtis, an illi eſſent in veſte? Ita interim diſtincta chlamys, ac per interualla conſpicua mortales Latoſclauos, ac Romanas ineptias illudebat; nulla tamen laus erat baccis, nulla gloria margaritis, vbi tantus ſplendor in vultu, tantus nitor in oculis, tantus decor in inceſſu. Committebantur eo veluti in campo felici diſſidio roſæ, li-

lia-

liaque, & ebur inuidere videbatur purpuræ, & ebori purpura, atque indiſcriminatim hoſpitabantur vna & ignes, & niues. Silete Hyacinthi, abite Cupidines cęteraque, licet pulchra, indigna nomina antiquitatis: quam turpes, ac ſordidi fueritis mihi cum cæleſtibus Ephœbis in contentionem formæ deducti. Nil auſim à te quærere, Stanislae, cui ſpectaculi decus, & gloria linguæ vſum ademerat: dicite tecta, dicite lapides, quos tot inter Soles inſtar Memnonij marmoris loquaces puto. Qui Luciferi, ſed excluſis Heſperis, conceſſerant in oculos? Qui radij, ſed ſine calamiſtro criſpabantur in crinibus? Quæ ſpecula, ſed chryſtallo poſthabita, explicabantur in fronte? Quæ manus ea lineamenta deduxerant, eos colores diluerant? Maieſtate tam magna, ſed non ſuperba: aſpectu tam ſeuero, ſed non ingrato: pulchritudine tam ſuaui, ſed non emollita. Nil habebat cæſaries theſauro non ſplendidum: nihil frons nitoribus non venuſtum: nihil genæ colore non floridum: nihil ſtatus geſtibus non decorũ: nec ſpecies illa aut communis, aut noſtra: pulchriore campo ver tantum adoleuerat, ac ditioribus conchis tam

no-

nobile margaritum excreuerat. Lac illud erat, ſed expreſſum à Lactea; flores, ſed ab Auroræ manu vel rapti, vel conſiti: aurum, ſed à ſolaribus tantum venis effoſſum: colores ſed ab immortalitate diluti: lumina, ſed occaſu non moritura. Quodque miraberis maximè, laus erat manibus, ſed ſine laude gēmarum: pretium erat collo, ſed ſine pretio monilium: gloria erat capiti, ſed ſine gloria coronarum: tamen tanta pulchritudo ſuo decore multùm, magis ſua grauitate commendabatur: tanta ſpecies eò ſpecioſior erat, quò ſeuerius fulgurabat: tot gratiæ eò erant gratiores, quod in compoſito vultu diſponebantur.

Sed ò vilem eloquentiam! vbi moror? aut quò contendo? Quid areſcentibus ſcapis adhæreo, cùm lilia fulgurent? cur intermortua lumina luſcioſus infelix proſequor, cum fulgurent aſtra? Quid aſtra, cum Sol? Hāc Cælitum venuſtatem apicem putas? gradus eſt. Scrutatur Stanislaus inter Superos neſcio quid Superis maius, in hoc pelago neſcio quid altius, latiuſque, atque in hoc lumine neſcio quid caliginoſis voluminibus conditum. Valeant crines, oculi, genæ: valeat totius oris pompa, & aſpe-

ctus

ctus decor immortalis. Vnæ me manus vocant: vnæ me rapiunt. Sedet in illis flos, ſed calice non reſerato, margaritū, ſed concha concluſum, Sol, ſed cādidiſſima nube contectus, ſcilicet inter Cereris inuolucra obtecta Diuinitas. Aſpice, & fruere, Stanislae; aſpice, & fruere: ſed heu, frui quidem potes, non potes aſpicere; & cum beetur lingua, beentur corda, oculi non beantur. O quæ venuſtas hic ſine venuſtate! O qui decor ſine decore! ò quæ lumina ſine luminibus!

Aſtabant Cælites Stanislao, ſed Stanislai, vt ita dicam, obliti: erat in conſpectu Cælitum Stanislaus, ſed Cælites non attendens: verebantur illi, quod ferebant, hic anhelabat, quod ferebatur. Illi ſuſpenſa manu penè ſanctiſſimo oneri impares videbantur; hic æſtuante pectore ferendis ardoribus non ſatis erat. Paruo orbe concluſus Deus, dum tectus erat, plus quærebatur, dum inuiſus, plus amabatur. Aderat illis Virgo Barbara, & Cælitum ſocia, & Stanislao familiaris, quæ quondam turre conſtricta, turrem ſuæ victoriæ indicem præferens, licet ſuo carcere contineri non potuiſſet, quin aduolaret ad Koſtkam, tamen neſcio quid ſui carceris huc aſ-

ferebat, cum concluſum Numen afferret. Quare Stanislaus ad cęleſtē Heroinam: Prodiga, inquit, Virgo es, & auara, & cum tam magna des, tam magna dare videri non vis. Præbetur mihi lac, ſed mamillis inuolutum, atque ad ſugendum nectar admoueor quidem Superum menſis, ſed neſcio cur captus oculis; & cum Amor prope ſit, non tam operit ipſe lumina, ne uideat, quam totus operitur, ne videatur. Abite vmbracula, abite nubes, abite vela, ac pateat oculis ſpecies illa, ex qua ſpecies omnis; illa pulchritudo, in cuius ſimilitudinem pulchritudo omnis componitur, ſed cui pulchritudo omnis diſſimilis eſt. O quã diſplicetis mihi lumina, ad tantam venuſtatem contemplandam vel non admiſſa, vel inualida contemplandæ. Valete oculi, vale lux ingratiſſima, mergi iuuat profundiſſimæ nocti; videre cuncta nolo, quod vnũ videre non poſſim, ſed quo cuncta minora ſint. Tamen flagrent maiore flamma præcordia, & quò minus video, magis accendar, ac iactura luminis cumulus ſit ardoris. Si non videam, videar tamen meo ab Amore, & illi placeam, & mihi placeat, & liceat ſemper amplecti, quod intueri non licet.

cet. Ita Stanislaus & quęrebat, & quærebatur, ſed ipſas inter querelas feliciſſimus; ac tandem auidiſſimis faucibus diuinum ferculum, ac cæleſtem Ambroſiam illicò exhauſit. Referant interim Cælites, quantum arſerit, quantum amauerit. Referat Barbara, cuius ope tot delicijs admotus eſt, quid pectora, quid præcordia, cum Amorem ſuum ſinu conſtringerent, aut loqui, aut ſilere potuerint. Ego interim, vel ſileas tu, vel loquaris, ſermonem abrumpam, ſi nulla tibi ſit vox, vt imiter; ſi ſit aliqua, ne interpellem. Contemplatus te ſum inter Cerberi primum diſcrimina, tum inter Cælitum gaudia; illic in eſcam petitum, hic eſca ſatiatum, ac victorem vtrobique, ſiue monſtrum expelleres, ſiue Numen alliceres, ſiue cum illo pugnares, ſiue hoc amplectereris. Hæc Stanislai venatio ſine canibus fuit domito Cerbero, Numine occupato, vbi cum Canes deſint, mei quoque in hac venatione commemoranda latratus deficiant neceſſe eſt. Dixi,

CÆLESTIS AMORIS VENATIO, SED SINE CVRSV; SIVE B. STANISLAO DECVMBENTI A SANCTISSIMA VIRGINE DIVINVS PVER AFFERTVR.

ORATIO.

SAnctiſſimi adoleſcentis venatio, ad quam vos heſterno die inter diuina nemora reuocauimus, PP., grata, vt opinor, fuit, quod amoris prodigioſa viſa eſt, quod cæleſtis, cum diuinus Cupido captus ſit, ſed captus ſit ſine cani-

bus,

Digitized by Google

bus; & mihi itidem hodie venatio agitanda eſt ſimili præda, nec ſine prodigio, vtinam pari felicitate. Afferam enim vobis venantem Stanislaum, ſed venantem nouo miraculo, ſcilicet ſine curſu, & agitantem feras, ſed ſine agitatione. Etenim non inter montanos receſſus, atque inuios nemorum ſaltus perniciſſimo pede, ſed toro depoſitus diuino Infante, dulciſſimo amore potitus perhibetur. Verum enim vero ſanctiſſimus puer felix hic ſine curſu fuit, qui quondam felix & cum curſu futurus erat, quippe qui non minus in prædam incidit, cum ſiſtere libuit, quam cum libuit properare. Ille Vienna Romam, vt in ſui amoris militiam aſcriberetur, pedes inuaſit, ne daretur inertiæ, quod ſtrato incumbens, venatus eſſet. Laudatur Achilles apud Poetas velociſſimis pedibus, ſed idem pedibus vnis confoſſus eſt, & qui cætera inuius erat vulneribus, plantis lethale vulnus accepit; quaſi vero greſſu validus iuxta eſſet, inualiduſque. Contra Stanislaus firmis pedibus ſua vota, ſua vota citatiſſimis pedibus conſecutus. beatus ſemper amator aut hæreret, aut curreret; cum enim curreret, Amorem petiuit ſuum, cum

hæreret,ſuo ab Amore petitus eſt, illic fortis,hic etiam felix. Accipite interea, PP.,venationis ſanctiſſimæ gaudia, atque in hoc theatro ſedentes prædam attendite, quam Stanislaus ſedens tantũ occupauit.

Ingredienti mihi nemora,ac ſanctiſſimi Amoris venationes inter nemora aggredienti, fabulę vel Latinę, vel Grecæ & Virgines,& Venatrices ſuas obijciunt.Hinc mihi Camillæ, illinc Atalãtæ,ſuccincta veſte,paſſis crinibus, & iaculis graues in montibus obuerſantur, ſed immane quantum ab Adoleſcentuli noſtri ſtudijs alienę.feruntur illæ infenſæ feris, ſed feris ſimiles; quas enim inſectabantur venatione, has imitabantur celeritate; quas conficiebant manibus, pedibus referebãt. quis crederet in tam magna ſimilitudine, tam magna diſſidia?eademque velocitate vtraſque prædita à natura, ſed diſpari voto, illas vt prementes fugerent, has vt premerent fugientes?Tanta igitur velocitate præſtantiſſimę venatrices nobiles perhibẽtur,vt in puluerulentum campum deductæ, quem excitabãt impetu puluerem, hunc pedibus non ſignarent: in tumidũ æquor immiſſæ, quas percurrebant

aquas,

aquas, illis plantæ non tingerentur: floridum collem aggreſſæ, quibus incumbebant frondibus, has pondere non comprimerent. Tardiores in montibus lepores, in plano ceruos, delphines in pelago credidiſſes. quare aut volare diceres illas, ſed ſine pennis, aut currere, ſed cum alis; potuiſsēt in uolucres inuadere, quas celeritate vel aſſequebantur vel ſuperabant, ſed in feras tantum immiſſæ ſunt, quas ſagittis vnis conficiebant, cum ocyſſimis tamen pedibus ſagittas æmularentur. Plantæ tam leues erant in curſu, palmæ tam graues erant in ictibus, atque his tam multus ſanguis, cum ferirent, illis nullus ſudor, cum properarent. Veſtigia ſemper aut nulla, aut incerta, certa ſemper, ac firmiſſima vulnera; cum numquam non agitarent in montibus, nil à montanis cautibus firmitatis edidicerunt; cum ſyluas numquā non colerent, vnam à ſyluarum frondibus leuitatem doctæ ſunt; ſyluarum fulmina videbantur, non tam vulnerum pernicie, quam pedum pernicitate. Quippe putares illas montis hærere radicibus, euadebant in culmen: crederes defixas in culmine, ruebant in radices: putares ab illis hunc verticem inſi-

deri, alter occupabatur: veſtigares illas in altero, euolauerant in priorem. Nūquam aut moram flumina, aut obicem aggeres, aut frænum prærupta illarum curſibus obiecerunt: cum enim traijcerent flumina, ripas vno ſaltu coniūgebant: cum occurrerent aggeres, culmen elatiore greſſu ſuperabant, cum prærupta obijcerentur, leuiore planta corpus præcipitans ſuſtentabant.

Hęc velocitatis prodigia vel excepit venatio, vel fecit; quę licet poetarum ingenia vel ad fingendum prona, vel ad augendum, vel ſuo more commentata ſint, vel amplificauerint nimis; tamen aliqua ex parte maximam pedum pernicitatem venatoribus congruam quis abnuat, Auditores? Commendatur hac laude Polymeſtor Mileſius, qui leporibus pręcucurrit; Troglodytę, Æthiopes Heſperi, & Ocypodes Indici Herodoto, Plinio, Solino memorati, à quibus ferę quælibet præuertuntur; quibus hiſtorijs apparet in tanta leuitate fingenda Poetas non leues omnino fuiſſe; & in montium, ſyluarumque latibulis hæc non ideò arbitrata, quaſi vero poſſet monſtroſum aliquid vel è nemoribus educi, vel in nemoribus claudi.

Tan-

Tantam igitur, cum petuntur feræ à venatoribus, leuitatem repetunt ſyluæ; at vero quantam Elyſia nemora, ac Cęli plagæ à venatoribus ſuis expoſcent, à quibus non belluæ, ſed diuinus Amor, non lepores, non cerui, non damæ, ſed Aligerum Numen, Cęleſtis Cupido aut petendus ſagittis, aut retibus implicandus? quam tardi forent hic aut Camillæ pedes, aut greſſus Atalantæ? quam torperent non Ladas vnus, ſed ipſę columbarum pennæ, & volatus aquilarum? quam languidi aurarum lapſus, & fulminum præcipitia viderentur, Auditores? In hanc prædam tibi inuolandum eſt, Stanislae, qua velocitate velociſſimum Puerum, quibus alis Aligerum Amorem venaberis? nullus hìc eſt aut Thebarum Laſthenes, aut Philonides Alexandri. quid? num à Pyroentibus ipſis greſſum mutuaberis? num non à ludentibus Zephyris, ſed ab ipſis Auſtris, atque Aquilonibus tuos in humeros pennæ benignius conferentur? ò fortunam ingentibus votis ſemper infenſam! ò vires in maximis conatibus ſemper inualidas! ò mortalitatem ad præſtantiſſima quęque ſemper infirmā! Hæret Stanislaus, & affixus lectulo eſt,

cum

cum volante ab Amore repoſcitur. ſiccine, Adoleſcēs beatiſſime, procumbis? iam mihi fingebam animo greſſus tuos, iam montes,& ſyluas percurrebam mēte, iam tibi non Sarmatica nemora, non Auſtriaca, ſed Auſtriacis, & Sarmaticis nobiliores ſyluas obijciebam; iam exclamare penè cœperam, feras in venatione ſanctiſſima excitaturus: tu vero tā infeliciter ſiſtis? hinnitu iam vocant equi, latratu canes venationem, repetuntque hi prædam, illi ſeſſorem; armamenta omnia, omnis apparatus in prōptu eſt; quid infelici toro proſterneris? anhelant corda non venatico curſu, ſed febris ardoribus: manant ſudore gelido lacerti, quibus in ferarum agitatione ſudandum arbitrabar: & quæ parabantur in belluas retia, ijs irretitus eſſe videris tu, cum explicari non poſſis. Vbi feſtiuitas oris? vbi frontis hilaritas? vbi natiua ſerenitas? vbi riſus innoxij? vbi Cælo petita, ſed vultu expoſita gaudia? ſquallet, miſerum me, ſquallet aſpectus, & in immobili corpore nulla tranquillitas. Dum calor vrget, color abſcedit; & cognata verecundia ruborem non habet, quo prænotetur; natiua innocentia candorem non habet, quo præferatur

tur;ſed in febris ardorem rubor, in mortis languorem cādor degenerauit. Quid cum venationem aggrederis, tu præda es, tu venatio? quid cum feræ agitandæ ſunt, hærent membra? quid cum hærent membra, agitur anima mox in fugam conijcienda? cum petenda ſunt nemora, ſiſtunt languidi pedes? cum torquenda ſunt iacula, torpent inualidæ manus? cum intendendi ſunt ictus, hebeſcunt perdita lumina? Quid Adoleſcens beatiſſime, langueſcunt oculi, cum Amor videndus eſt? lacerti franguntur, cum properandum eſt in amplexus? febris dolores horrent, cum gaudia te præſtolantur? vires deficiunt, cum maxime audendum eſt? Cedite, inimici calores, cedite; meliori flammæ vacandū eſt pectori; ſiſte vita, viuendum eſt cum Amore; properate membra, ad diuinū Cupidinem eundum eſt.

*V*erum enim vero, quid vſque adeo Stanislai moras inſector? quid in languidos pedes inuehor quaſi venationi non opportunos? Num quod hæreat nobiliſſimus Koſtka, ab omni omnino ſaltu ablegandum illum putatis? num quod ſedeat, omnem omnino montem illi claudendum eſſe arbitramini? falli-

mur,

mur, Auditores; ſæpe currentes enim, ſæpe etiam immobiles feras conficimus; & inter venatores ipſos pars agitat curſu prædam, pars ſiſtit mora: hic ſequitur fugientes, accedentes hic præſtolatur: ſunt qui palam feras aggrediātur, ac ſe ſe in diſcrimen immittant, ſunt qui in inſidijs lateant, pugnentque ſecurius. Intendite in Hippolytum oculos maximum quidem venatorem, licet infelicem, & victorem in montibus, licet victum à pelago, & fortunatum inter feras, inter piſces calamitoſum; ille cum in ſyluas duceret ſuos, partiturus officia, pleroſque curſu validos iuſſit excurrere, pleroſque ſubſidere, ratus in venatione non minus celeritatem valere, quam moras. Aiebat ergo

Tu præcipites clamore feras
Subſeſſor ages.

Poſt Hippolytum reuocate in memoriam, Patres, Herculis comitem Philoctetem. vſus hic in alios feliciſſime ſagittis, infeliciter tamen in ſe. Cum enim incaute Alcidæ iacula Lernæa tabe illita forte geſtaret, vnius cuſpide humi decidente traiectus eſt pede, atque inſanabili vulnere ſaucius, tota fere vita claudicauit; cum vitam interim ſuſtenta-

ta-

taret vno venatu, atque ex veteri Poeta prædaretur

Tardus, celeres: ſtans, volantes.

Eodem pacto tu, Stanislae, iſto in ſtrato explicabis caſſes, tendes iſtic retia, & quaſi in inſidijs conſtitutus, diuinum Amorem hac illac præteruolantem, aut incaute, vt ita dicam, prætercurrẽtem feliciter occupabis. Neſcio quid præſagit animus, neſcio quid mens aut intueri ſibi putat, aut intuetur? O vtinã rimas mihi duceret paries ille, per quas lumina curioſius liceret intendere! O vtinam mea etiam brachia, aut mei ſaltem oculi in prædæ partem feliciſſime vocarentur! O vtinam inter dulciſſimas plagas, inter feliciſſimos laqueos, inter iucundiſſima retia, quæ Amori tetendiſti, ego etiam implicarer, & caperer cũ Amore!

Liceat interim, Adoleſcens beatiſſime, liceat, quod oculis nequeo, ſaltem cogitatione complecti: quod non datur auribus, cordi detur. Incubabat iam letho proximus plumatili ſtrato Stanislaus: languebant membra, gaudebat animus: cor æſtu duplici abſumebatur, & amoris, & morbi, vtroque ſęuo, vtroque lethali; mens interim beatiſſima

inter

inter corporis & dolores, & moras toto cælo libera & fruebatur, & vagabatur; ſuoque Amori tum ſtringebatur maxime, cum vitæ fila diſſoluerent Parcæ. Hic (ò ſpecies mortalibus oculis maior!) picta lacunaria ſponte ſua diffiſſa diſcedunt; pateſcit ægro Cælum, quò mox videbatur euolaturus: afflantur nouo lumine auratæ trabes, inſolito ſplendore repercuſſi parietes & accipiunt flammas, & reddunt. Spirat hac illac venturi prodigij nuncia aura beatior, cui & Arabici, & Sabæi afflatus inuideant, halituſque Seplaſiæ iam nulli ſint. toto conclaui benigna quidem, ſed inuiſa manu roſæ, liguſtra, lilia, & quidquid floridi cæleſte Elyſium parit, ſeri videtur, cum non ſeratur. Neſcio quis vigor interea per morientis articulos properat; inſolens robur lacertos intendit; floridus ſanguis per aridos venarum ductus deriuatur; ſoluta tamen morbo hærent brachia admiratione ſuſpenſa, accēſa nouo ſplendore pupula à proximis lethi tenebris neſcit, vel quò, vel à quo rapiatur. arriguntur aures, & quaſi è lōginquo ſonos, & chordas aut tinnire incipientes, aut ſuauius deſinentes auidius ebibunt. Inter vernantes vbique

flo-

floſculos timidus pallor abſcedit, vt genis roſæ conſerantur:mirantur ſe membra viuere,vt tanto gaudio ſupereſſent: dulciſſima hilaritate frons ſoluitur, & labra nuper liuentia purpureo riſu referantur:lacerti in amplexus ruunt, ſed quod amplectantur, hactenus nihil eſt: oculi in tanta voluptate lacrymis fluũt, vt proludant futuræ ſerenitati: præcordia, coſtę,pectora aut ſoluuntur,aut cedunt, cordis arietationibus imparia, inualidaque. Neſcio quid magnum,inſolens,auguſtum,diuinum, antequam quidquam aſpiciat, mens putat ſe conſpecturam; ac tandem indiſcreto lumine, & candore confuſo inter argenteũ, aureũq; ſplendorem, argento, auroque ſplendidior,lacte madida, ac rore diſtillans,inter afflatus & præeuntis, & ſequacis ambroſiæ, nubecula è lacunari paulatim deuoluitur in conclaue.

Inſidebat illam,ò lepor! ò venuſtas!ò ardor! ò gloria! diuina Mater, ac Puer Deus.quæ lumina!qui colores!quæ gratiæ!quæ fulgura! quæ decora!qui amores! quis mihi aut artem ſuggerat, aut miniſtret penicillos? in hac diuiniſſima tabula, quæ mihi ſidera diffluent incolores? qui ſol deducetur in lineas? quod

cæ-

cælum explicabitur in tabulam? quæ diuinitas in imaginem exprimetur? iam vt loquar, vt pingam, vt referam, quis aut cęcutientes oculos firmet in tantum lumen, vt aſpiciant? aut ſtupentes manus impellet in opus, vt pingant? aut hærentem linguam animabit verbis, vt eloquatur? at vter me prius rapiet Natus, an Genitrix? vtri cor, oculos, verba, vota, manus trepidas quidem, ſed auidiſſimas flectam? inter refectas diuino nectare mamillas vtri prius inhiabo? atqui vtram prius labris aggrediar? in ſuauiſſimo pulcritudinum biuio vtrum iter prius inſiſtam? atqui vel Nato prius adhæream, vel prius flectar ad Genitricem? Pulcritudines vniuerſas aceruatim ne congeram, an proſequar minutatim? ſingula immenſa ſunt, quid omnia? quã ſuauis eſt riſus, & huius, & illius beatiſſimo ore vel concluſus, vel diductus? qui gratiarum chori vtriuſque vultu aut inſidentium, aut volitantium? quanta luminis placidiſſimi vis eſt, non tam oculis, quam aſpectu toto ſemper intermicans? vbi conſitæ ſunt, vbi lectæ immortales, & genis ſemper hærentes & antiquiſſimæ roſæ, & recentiſſimæ? qua vena flos ille auri purioris effoſſus eſt, vt

tota

tota cęſarie potiretur;& adultæ, & fuſæ diuitię, theſauruſque concluſus orbibus, & ſolutus?

Verũ nec dicendo par lingua eſt, nec oculi contemplando. inueniunt hi ſemper, quod hauriant; ſemper inuenit illa, quod proferat. Quid? quod neque hi, quod vident, capiunt; nec percipit illa, quod loquitur. O vtinam mille pupulas in pupulam vnam congererem, voce vna mille voces effunderem, totus oculeus eſſem, vocalis totus; verum nec ita à me vel aſpectu, vel verbis pulcritudo tota complecteretur. tendat ingenium, vbi ſiſtunt oculi, vbi deficit lingua; ſi tamẽ mens ipſa ita oculata eſt, ita loquax, vt tam magna videre poſſit, tam magna profari. O ſpecies, præ qua ſpecies omnis deformis eſt! ò colores, quos nullus color exprimere aut audeat, aut queat! ò lineamẽta immortalia, ad cuius æmulationem nullæ lineæ deduci poſſunt! in quibus venuſtas omnis eſt, cum nulla par venuſtas inueniatur: quò ita lepores omnes, & elegantiæ confluxerunt, vt cætera omnia ſpoliata videantur lepore, ſpoliata elegantia: vbi cum amores omnes alantur, & adoleſcant, par illis nullus eſt amor, nullum incendium ſatis eſt,

 Sta-

cælum explicabitur in tabulam? quæ diuinitas in imaginem exprimetur?iam vt loquar,vt pingam, vt referam, quis aut cęcutientes oculos firmet in tantum lumen, vt aſpiciant? aut ſtupentes manus impellet in opus, vt pingant? aut hærentem linguam animabit verbis,vt eloquatur? at vter me prius rapiet Natus,an Genitrix?vtri cor,oculos,verba, vota,manus trepidas quidem, ſed auidiſſimas flectam? inter refectas diuino nectare mamillas vtri prius inhiabo? atqui vtram prius labris aggrediar? in ſuauiſſimo pulcritudinum biuio vtrum iter prius inſiſtam?atqui vel Nato prius adhæream, vel prius flectar ad Genitricem?Pulcritudines vniuerſas aceruatim ne congeram,an proſequar minutatim? ſingula immenſa ſunt,quid omnia? quā ſuauis eſt riſus,& huius, & illius beatiſſimo ore vel concluſus,vel diductus?qui gratiarum chori vtriuſque vultu aut inſidentium,aut volitantium? quanta luminis placidiſſimi vis eſt, non tam oculis, quam aſpectu toto ſemper intermicans?vbi conſitæ ſunt,vbi lectæ immortales,& genis ſemper hærentes & antiquiſſimæ roſæ,& recentiſſimæ?qua vena flos ille auri purioris effoſſus eſt, vt

tota

tota cęſarie potiretur;& adultæ, & fuſæ diuitię,theſauruſque concluſus orbibus, & ſolutus?

Verũ nec dicendo par lingua eſt, nec oculi contemplando. inueniunt hi ſemper,quod hauriant; ſemper inuenit illa, quod proferat. Quid? quod neque hi, quod vident,capiunt; nec percipit illa, quod loquitur. O vtinam mille pupulas in pupulam vnam congererem, voce vna mille voces effunderem,totus oculeus eſſem,vocalis totus; verum nec ita à me vel aſpectu, vel verbis pulcritudo tota complecteretur. tendat ingenium, vbi ſiſtunt oculi,vbi deficit lingua;ſi tamẽ mens ipſa ita oculata eſt,ita loquax, vt tam magna videre poſſit,tam magna profari. O ſpecies,præ qua ſpecies omnis deformis eſt! ò colores, quos nullus color exprimere aut audeat, aut queat! ò lineamẽta immortalia, ad cuius æmulationem nullæ lineæ deduci poſſunt! in quibus venuſtas omnis eſt, cum nulla par venuſtas inueniatur:quò ita lepores omnes, & elegantiæ confluxerunt, vt cætera omnia ſpoliata videantur lepore, ſpoliata elegantia:vbi cum amores omnes alantur, & adoleſcant, par illis nullus eſt amor, nullum incendium ſatis eſt,

Stanislaus interim in tam dulci conuiuio omnino ebrius, in tam alto pelago omnino merſus, in tam nobili triũpho ſupra Reges, ac Cæſares euectus, in tam opima præda ſupra mortales, ac ſupra ſe raptus, quà æſtuat ardentiſſima face, quà liqueſcit beatiſſima dulcedine; & viuit, & perit; & inter ſomnum, vigiliamque dubius, non credit inſolitis voluptatibus, quibus inundari ſe conſpicit. Deficit animus, deficiunt pectora; dum aut amando Numini plures animos optat, aut capiendæ dulcedini plura pectora expoſtulat: ſimul & beatur, & queritur; quippe felicitas ex infinita dulcedine, dolor ex mortalibus anguſtijs dulcedine longe minoribus. gaudet denique, & angitur, ſed angor ipſe beatus eſt. Tollat oculos? perduntur lumine, claudat? marceſcunt deſiderio. properent manus? nimis audaces ſunt. ſiſtant? nimis timidæ. alloquatur? vbi verba ſunt paria. ſileat? ò quam felici momento priuabitur. Interim dum rapere geſtit, rapitur; dum capere nititur, captiuus eſt. Senſus guſtatim contabeſcũt; cor in ſtillicidia diffluit; animus immēſa cupiditate ardet; oculi affatim lacrymis manant; præcordia omnino exarde-

deſcunt; & patitur, & optat, cum pati penè non queat, cum optata in manibus ſint. Iam vero quibus lacrymis ſtillant lumina! quibus ſuſpirijs, anhelant ora! quibus incendijs paſcuntur viſcera! quibus æſtibus agitur cor! quibus pulſibus quatiuntur membra! Anhelant præcordia, ſed ſine curſu: lacerti ſudant, ſed ſine labore: fluctuat animus ſine tempeſtate: perit anima ſine dolore. Quid vidiſti, Stanislae? quid amaſti? quò intenta ſunt lumina? quid conſtrinxerunt brachia? vbi adhæſerunt labia? Quid loquor, me miſerum, quid euoluo? ſile lingua, ſilete corda, ſed inuidete. quis me inter beatiſſimas epulas conuiuam feliciſſimum ſiſtat? quis apud diuiniſſimos theſauros raptorem auidiſſimum conſtituat? quantum auderent manus! quantum arderent pectora! quantum animi bearentur! O vota ſuauiſſima quidem, ſed vtinam non fruſtra ſuſcepta.

Contemplati ſumus interim Stanislaum ſua gaudia, ſuos amores arctiſſimè complectentem, & contemplati venatorem ſumus, prædæ compotem ſine curſu. Nunquam terra maius ſpectaculum vidit, nunquam viſura eſt, atque ea

vobis propoſui, PP., quibus nunquam maiora vel ſibi fingat animus, vel alijs euoluat oratio. Imitatus hic Stanislaus Cæſares eſt, quorum plerique ſyluarum tædio ſedentes in theatro, productas in medium feras ſagittis conficiebant. ſedens igitur, ac toro ſtratus Amorem retibus implicauit, ſed Cæſaribus longe felicior, & præda meliore. Imitatus eſt Medos Principes, qui ne in ſyluas ablegari poſſent vxores venationum ſtudioſæ, illis penſilibus hortis ſyluas mirifico labore domi conſtruxerant, vt minori labore venarentur. Habuiſti tu etiam, Stanislae, non domi tantum ſyluas, ſed etiam in toro ad venationes inſtituendas, vt occupare poſſes, quod de Philoctete modo dicebam,

Firmus, celeres; ſtans, volantes.

imò & ſine penſilibus hortis, & ſine ſyluis, ita in tuam dulciſſimam feram offendiſti, vt non tu prædæ auidus, ſed præda tui auida videretur.

Cæterum vbi hæres tu, cogor etiam ſiſtere, & firmare verba, vbi tu pedes nō agitaſti; vt interim & ſtupore, & miraculo firmius hæreamus. ſilebimus igitur in tua venatione, cum & rei magnitudo, & ſyluarum nomen me de ſyl-

ua-

uarum ſilentio videantur admonere.
Dixi.

DE
P. MARCELLO
FRANCISCO MASTRILLO.

ORATIO.

MArcellus Maſtrillus noſtræ familiæ glorioſiſſimum fulgur, ſed fulguris modo citiſſimè reſtinctus; bis ictus nobiliſſimo capite; Neapoli primo, tum in Iaponia, ſeu fabrili malleo, ſeu barbaro gladio, ſed ictus in Italia, vt in oceanum immitteretur, ictus in Oriente vix expoſitus ab oceano: primo Cælitum ope morti raptus, tum Cælitũ ope firmatus ad mortem: vitæ cito redditus, vt vitam cito profunderet, vobis hodie proponitur, PP. Verum enim

vero quoniam infirma mortalium acies in maximum lumen firmari nequit, quin hebetetur, aut pereat; atque id, cuius ope intuemur omnia, id vnum ex omnibus intueri non poſſumus; vereor, ne Marcelli lumina, & gloriæ radijs, quibus ornatus, & Iaponię facibus, quibus abſumptus, toto terrarum orbe illuſtriſſima; vereor, inquam, ne dum omnium oculos ad ſe rapiunt, omnium oculos fulgore perſtringant. Quare eo vtar artificio, quod ſolares radios contemplaturi conſueuimus adhibere, quos oppoſita cryſtallo ita exprimimus, ac temperamus, vt ſimillima imagine delineatæ faces oculum patiantur; quem clariſſimum ſidus nunquam afflat, quin extinguat. ita Marcelli decus imagine quadam proſequar, & quem ſatis ſibi fingere nequit animus, attentius contemplari oculus nequit, hunc in altero Heroe paribus fortaſſe rebus geſtis facilius intuebimur. Parem Marcello ducem ab hiſtoria Romana petiuimus, qui toto terrarum orbe ſuperato, noſtri Ducis gloriæ videbitur præluſiſſe. Attendite vos interea familiaria decora, & domeſticam gloriam, quos ęmulatio tam glorioſi nominis rapit, nunc in ſo-

cij

cij laudes admiſſi, mox à pari virtute pari oratione fortaſſe laudandi.

Cn.Pompeius mihi ex Romanis heroibus primus occurrit cum noſtræ Societatis heroe Marcello Maſtrillo componendus, qui magnus cognomento, maximus rebus geſtis, ac terrarũ orbe; quem ſuperauerat, aut maior, aut certe non minor, patietur ſe in theatrum; quod ipſe Romanis extruxerat, hodie produci, non vt cum Cæſare committatur infeliciſſimè ruiturus, ſed eo cum viro, cum quo pugnam inire ſummum decus, à quo cadere in pugna dedecus nullum eſt. ille & natus, & adultus in principatu, Romanus Imperator, antequam miles, vſque eò & fortunæ manu, & virtutis neruis deductus eſt, vt omnia ſibi ſubiecerit, vt cum omnibus caderet; & vt ſpargeret vbique ruinas, vndique victorias reportarit: nunquam maiorem ſe vidit Roma, quam in Pōpeio, nunquam minorem ſe vidit orbis terrarum, quam ſub Pompeio; tamē illa tanti hominis ruinam vix credere potuit, hic vix potuit aſpicere ſiue admiratione, ſeu lacrymis. tres maximos Duci triumphos pepererant tres orbis partes, ac plus triumphaſſet, ſi plus terrarũ

innotuiſſet, de quibus triumphandum: ex Africa illa ſunt: ſtrata primo Sicilia, & in illa conflatum fulmen, quo Libya peteretur, vbi oppreſſo Domitio, Iarba rege capto, luſtrata victrici planta Numidia, cæteriſque aut in fidem acceptis, aut inter ſe mutuo fœdere compoſitis Regibus, iiſdemque vel repreſſis, vel omnino profligatis, Magni nomen ſibi meritiſſime comparauit. Ex Europa vero maiora trophæa, in qua fugatus in Sardiniam indecore Lepidus, perditus ad Galliam contumelioſe Brutus, petitus in Hiſpania glorioſe Sertorius, excitatiſque in Pyrenæo trophæis, ad Gades vſque octingenta ſeptuaginta ſex oppida (quis crederet!) victricibus armis occupata. ex Aſia denique triumphi & maximi, & hactenus inauditi: hic multiplici primo claſſe in piratas adornata ab infeſtiſſimis excurſionibus pelagus omne, portus, inſulæ, prouinciæ vindicantur; tum ad ſolis ortus non impari felicitate conuerſis armis, Mithridates vnus opprimitur, an terrarum orbis vniuerſus in Mithridate? quippe Aſia Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, Bactrianis à Mæotis lacu ad

Ru-

Rubrum mare ſubactis. Perſtringitur quodammodo mentis acies, ac defatigantur propemodum aures, dum triũphorum tantummodo tituli, atque infinita nomina perſtringuntur. Nulla igitur ſola terrarum, nationes nullæ Pompeium vel amicum non amplexæ, vel victorem non timuerunt: ſuperauit omnes exteros fortitudine, gloria ſuos: ſenſit illum hoſtis triumphantem prius eſſe, quam hoſtem: vidit illum Roma prius principem eſſe, quam ciuem. Defecerat Orbis victorijs, Roma triumphis defecerat; neque hæc plus ornari poterat, neque ille plus ſuperari. Pompeio Duce omnia infra Romam erant, Roma ſupra ſe; vt Pompeius vnus & Romæ, & omnibus imperaret.

Poſui vobis ob oculos maximi Ducis laudes, & gloriam, vt egregia Marcelli facinora vobis indicarem, atque vt ex illius victorijs gradus fieret ad victorias illuſtriores. De tribus igitur orbis terrarum partibus Marcellus triumphauit, de Europa, in qua ſteti., de Africa, quã percurrit, de Aſia, quam attigit. Prima illi carceres dedit, ſpatium altera, metã tertia: in Europa natus, in Africa viſus, extinctus in Aſia; ex prima vocatus ad

glo-

gloriam , per alteram tranſmiſſus ad laudes,in tertia promeritus lauream : tres conſpirauerũt, vt ſemel triumpharet; cum triumphus ductus tamen de tribus ſit.ſed gradum paulatim per ſingulas faciamus.

Europa occurrit primo,vbi in noſtrę Parthenopes gremio grauiter ictus capite,victus potius viſus eſt, quam viciſſe, nec tam ferri triumphali feretro, quam ferali. Videre enim erat Heroem noſtrum fatali ſub malleo preſſum, iacentem cruentato capillo , luminibus caligine circumfuſis,conſternato vultu, ſemiuiuis artubus ſpiritum ex imo trahere ſemiuiuum. Quam falleris, ignara mortalitas! quem caſum doles , aditus erat ad gloriam: quem times ictum, diuina manu directus eſt,magnum quippiam architectante.lugebant amici, ridebant Cælites, & quod illi deplorabāt lethum, hi cunas; & ortus fecerunt ad palmas; & natalis inſtar, licet ille lætiſſimus ſit, voluerunt tamen ex more & doloribus,& gemitu celebrari. Ita fatũ illius fortitudinem, & conſtantiã veluti experiebatur,atque icto capite vel futuros ceruicis ictus promittebat, vel futuris ictibus proludebat. cruores in illo

cruo-

cruore libauit: vulnera ex illo vulnere auſpicatum eſt: & in ruina illa gloriæ culmen, faſtigiumque conſtituit. quod ſanguine caput fluit, hoc laurea cohoneſtandum eſt: quod malleum nunc eſt expertum, hoc enſe mox ferietur: quod nunc dolet ad vulnera, mox ambibit vulnera, mox ſubibit; putabitque ſe glorioſius demeti ferro, quã premi auro vel coronario. Iam vero ex hoc ictu, Marcelle, ex hoc lethali vulnere qui tibi gloriæ campus panditur! quæ laudis tibi ſufficitur ſeges! tu Cælites ad te è ſideribus rapis, & qui ex alto ictus es, è Cælo curaris: malleus in te contortus, fulmen videbatur, ſed fulmen re vera non eſt, cum à ſideribus non vulnus ad te properet, ſed medela. O te feliciſſimum, qui vt ita diſcrimen euaderes, vocatus es in diſcrimen.

Iam ſtupore perculſa, in tua præconia tua Parthenope effunditur; reſonat feſtiuis clamoribus Roma, Liguria, Inſubriaque; certant beneuolentia, certant officijs; properat in tuos amplexus Hiſpania, properat Luſitania. Teſtem hic Auſtriacam aulam appello, teſtem Mantuã Carpetanorum; teſtem Luſitaniæ Regiam Olisiponẽ;

quam

quam blande à Philippo rege, quam officioſè à Principe filio, quam benigne à Margarita Borbonia, quam faciliter à Sabauda Principe exciperis: nuper ictus capite ò quam magna capita tibi famulari nunc aſpicis! nuper letho proximus, ò qua repente lætitia, Marcelle, perfrueris! nuper madens ſanguine ò quà purpura, ò quibus Regibus illico potiris! Has ab Europa victorias longe maior Pompeio Marcellus reportauit; ſubiecit ille vrbes, ac regna, hic reges ſibi deuinxit: compreſſit ille ferociſſimas nationes, ac populos, hic principes, ac Dynaſtas: ille armis, hic beneuolentia: vterque ferro victor, ille gladio tãtum, hic vno malleo: ille hoſtium vulnere, hic ſuo: magnus ille Imperator, hic miles, merenſque ſub Duce, ſed Cælite.

Ex Europa in Africam propero, in qua Pompeij nomen non illuſtre minus, ac nobile: aduſtam hanc, immenſamque prouinciam Marcellus non attigit, AA. ſed cum illam Luſitana claſſe totam obiuerit, viſus eſt ſuperaſſe. proſpectabat illum tranſmeantem ſuis è littoribus Libya, timebatq; ne nouo hoc Alcide aureis pomis ex integro ſpoliaretur; ne ſuo Atlante poſthabito humeros ille

va-

validiores Cælo ſupponeret,cum Cælites ita haberet familiares:ne ab hoc potius, quam ab Africano Scipione ſubigeretur;cum non ſereret falſos cum illoue ſermones,ſed veros cum Superis. Videbat Africa Africana monſtra, ac ferarum exercitus ad illius fortitudinem nullos eſſe;ſuarum aggeribus arenarum illius animos non retardari; ſuorum ardorum æſtus illius ardoribus ſuperari. Marcellus interim luctari tantum cum fluctibus voluit, expertuſque hic malacias,hic tempeſtates; Guineæ flammas, & frigora Bonæ ſpei; ventorum impetu iuxta preſſus vel nullo, vel nimio; non minus inuiſa procella, quam ingrata ſerenitate, quà vndarum timoribus,quà piratarum aſſuetus; cum in exteros officia exhibere nequijt, in ſuos fuit officioſus. ſi quid minabantur Sidera, ijs occurrebat precibus: ſi quid moliebantur Tartara,illa vocibus comprimebat; ſiue laſciui mores arderent, ſiue flagrarent inimica diſſidia, & hæc,& illos feliciter reſtinguebat: aut corpora languerent, aut animi, pijſſimus hic Machaon,illic feliciſſimus: militibus mixtus amorem, mixtus principibus venerationem extorquebat; par omnibus

ſpe-

ſpecie, ſupra omnes opinione : noctes Cælitibus dabat, dies mortalibus: inter illos aſſidua prece, inter hos aſſiduis laboribus: hic tamen nunquam preſſus, illic nunquam defatigatus. Superbiebat illo claſſis, a quo portabatur, ambibant illum nauigia, a quibus excluſus erat; quaſi vel Argo premeret vellus aureũ, vel Indicas naues gemma aliqua Indicis gemmis illuſtrior. Mirabatur Oceanus ſe tam nobili merce premi, nec fluctus in tam nobilem rapinam exſurgere; mirabantur monſtra, & cognata pelago Cete neſcio quid à ſe cõſpici eo in nauigio ſua mole maius, ſua immenſitate ſublimius: mirabatur nauis ſe tanta magnitudine tanto pondere premi poſſe, nec mergi, ita Africam ſubegit Marcellus, in quo eò viſus eſt Pompeio felicior, quòd ea de regione triumphauit, in quam nunquam immiſſus eſt, atque vbi nunquam fuit, ibi tam magnus fuit; de illa ſatis victor, quam de pelago proſpectauit. tantum potuit aſpectus vnus, quid potuiſſent vel verba, vel manus?

Ex Africa ad Aſiam properat oratio mea, in qua ſubigenda vna Pompeij ambitio fuiſſe perhibetur Rubrum mare pertingere, vt Alexandri æmulus vide-

deretur: quare in Romano triumpho, cum vota Mineruæ ſolueret, hanc epigraphen addidit anathemati.

Pompeius fuſis, fugatis, occiſis, in deditionem acceptis hominum vicies ſemel centenis: octoginta tribus millibus depreſſis, aut captis nauibus: ſeptingentis quadraginta ſex oppidis: caſtellis mille quingentis triginta ſeptem in fidem acceptis: terris à Mæotis lacu ad Rubrum mare ſubactis. Votum Mineruæ.

Hic ſiſtam, AA., vt in Rubro hoc pelago, quod ſuo ſibi cruore pepererat, Marcellum velificantem intuear. maximus heros igitur citatiſſimo curſu deductus in Aſiam, maria omnia nauigauit, vt in extremo littore naufragium faceret, ac primum Orientem ingreſſus, ſubitum occaſum ſortitus eſt. plures ſunt regiones, quas Marcellus obiuit, vt periret, quam quas Pompeius adiuit, vt vinceret; plura ſunt illata Marcello vulnera, quam homines à Pompeio vel capti, vel cæſi; vt interim maior eſſet vnius Marcelli conſtantia, quam quingentarum nauium, equitum quinque millium, centum viginti millium peditum, legatorum triginta quatuor, ac tredecim Ducum vires: tot Pompeius lacer-

certis ægre pugnauerit, Marcellus vicerit vnico.

Sed iam tantæ gloriæ theatrum ingrediamur: vbi pugnaſti tu, vbi triumphaſti, Marcelle? quot prælijs immiſſus es! quot bella debellaſti! tu primum aqua tortus, in aqua ſepultus es; cum viueres inter vndas conuolutus, extinctus inter aquas agitatus; nec tamen aquæ te muniuerunt, vt flāmis eſſes impeuius; quippe fumo militibus proditus, & igne torqueris viuus, & igne abſumeris mortuus; tumulatus es antequā extinctus, qui extinctus tumulo caruiſti, etenim potuiſti foſſa ſepultus viuere; vt extractus à foſſa, barbaro acinace detruncatus, deſineres viuere. O maxima virtutis, conſtantiæque prodigia! nec tamē tanta barbarie hoſtis exſaturatus; madent lacerti ſanguine, ſed cum cruore tuo tingeris ad gloriam, rubrica fabrili notaris ad ignominiam; admoueris leui arundini, & adſtringeris firmiſſimo ſtipiti, vt hic non leuiter crucieris, illic ſiſtas ad vulnera, ac firmior fias ad cruciatus. ò crudeliſſimas quidem, ſed feliciſſimas vices! exureris ſulphure, aqua conſpergeris, & abraditur caput, ac deciditur; inter dolores viuis, nec parcitur

mor-

mortûo, vt nunquam victoriæ ſiſterentur . ferreæ laminæ os occluſerunt, quod magis occluſerat conſtantia, nulla in tantis cruciatibus querela, gemitu nullo. Marcellus tortus arundinibus, nō didicit ab illis ſua in fide leuitatem, non inconſtantiam; & cum aqua perfunderetur, nihil gelidi ſudoris, nihil gelidi timoris inuenit in illo barbaries. ſeruili more detonſus eſt: illius libertatem videlicet horrebat inimicus, qui cū Neapolitanum heroem inter aquas penſilē in vorticem contorqueret, inſcius illi coronas ſuis orbibus implicabat. O robur! ò animum! quam inania tuarum prouinciarum nomina, quam ludrica ſunt, Pompei, ac nulli tituli triumphorum. Hæ Marcelli victoriæ ſunt ab Aſia reportatæ; vbi non vnam Aſiam, ſed elementa omnia videtur ſubegiſſe. terram, in qua defoſſus: aquam, in qua tortus: intercluſo ſpiritu aerem: admotis arundinibus flammam; vt ternis Pompeij triumphis vno Aſiatico triumpho omnino antecelleret; cum enim ſubacta terra Pompeianos triumphos expreſſiſſet omnes, à tribus terrarum partibus ductos; cum in aquarū victoria pacatum pelagus, & maria omnia Pompeij ma-

nu à piratarum claſſibus vindicata videretur æmulatus; ſpolijs vel ex aere raptis, vel raptis ex ignibus, quid habet Pompeij vis, quod apponat? Quare non hæc Marcelli Maſtrilli, Pompeijque contentio fuit, ſed potius Marcelli de Pompeio victoria; deduximus enim in medium Romanum Ducem, non vt cum illo noſter Heros committeretur, ſed vt iter potius indicaremus, ac ſeriem triumphorum; qui cum de iiſdem prouincijs ducerentur, non eadem gloria ab vtroque deducti sũt. Pompeius enim vbicumque ſemel vicit, ibi iterum victus eſt, vt triplici iactura, triplicique ignominia tribus triumphis, tribus laureis reſponderet; quippe cum Africam, Europam, Aſiam ſubegiſſet, ipſe in Africa cecidit, ac duobus filijs cæſis, Europam altero, altero Aſiam funeſtauit; cum tamen Marcelli gloria nuſquã ſit nõ illuſtris, & ibi maxime nobilis ſit, vbi aut concuſſus fuit, aut cecidit.

Supereſt nunc, vt vtriuſque exitum veſtigemus, vt ab infortunijs Magni Pompeij Marcelli felicitatẽ intueamur. Tantus Romanorum Dux, ac decus Imperatorum, armis, potentia, gloria, nomine in Pharſalico prælio ſpoliatus;

leui

leui nauigio deductus in Africam, vel inſtauraturus bellum, vel miſericordiã imploraturus; ad Caſſium montem ſemiuiri barbari conſilio, pupilli Regis iuſſu, Romani militis manu confoditur; deciſoque capite truncus in ea maria præcipitatur, vnde mille piratarum naues expulerat, in eius terræ ſinu, quam toties debellauerat, eius impia dextera, quam ipſe primum armauerat. O quantum tibi, Photine, quantum, Achilla, quantum, Septimi, fortuna permittit! Orbis terror Pompeius hic eſt; an fortuna deſtitutus, aut Pompeius non erat, aut Pompeius non putabatur? quem non ſatiabat Orbis, cui Roma non ſatis erat, inops ſepulchri fluctuat; & Magnus terra indiget, quo terra nuperrime minor erat.

Eodem fato raperis tu, Marcelle; cõfoderis, trucidaris, deflagras in eius terræ ſinu, quam terris omnibus peragratis tenueras; tua in Iaponia, quam maria omnia permenſus, amplexus eras. in aditu gloriæ iter tibi deficit, in carceribus ſpatium, tellus in littore. cadis, antequam pugnes; & antequam faces inferas, ignibus admoueris. tam cito flos ille defloruit, tantum ſidus extinctum eſt, &

in operis molitione deſtitutum eſt ſummum opus . non hanc de te Neapolis ſpem conceperat , non hanc Europa de te , cum in magnum imperium tot prodigijs immittebat .

Verum cecideris vtique , & raptus tantum Italiæ ſis iam funeri proximus , vt alibi funerareris , ſaltem detur hoc vnum patriæ, vt illacrymetur extincto , frigida membra complectatur, nuda oſſa tellure componat, Marcello tumulũ ſtatuat. Me miſerum, vnde glorioſiſſimi viri cineres legam? vbi illuſtriſſimi pulueris reliquias veſtigabo? Vos hic appello, inhumana littora, & cautes inhoſpitales, vos mundi cardines, & extrema terrarum ſola, vos Iaponica compita, & barbaricas arenas imploro; licuerit ſine exemplo ſęuire, nihil intactum crudelitati relinquere , nihil immanitati intentatum ; licuerint omnia . nunc vero reddite ſaltem Europæ , reddite Italiæ, reddite Patrię alumnos cineres; ac patiamini illum à vobis extinctum abſtrahi, quem viuum amplexæ non eſtis. Date nobis, quem dedimus, atque illum, ſi alienus eſt, reddite, ſi hoſtis, expellite: ſi non admittitur, ſinite alibi viuat, ſi opprimitur, ſinite alibi tumuletur.

tur. O fruſtra profuſi clamores! ò inania vota! ò nulla ſuſpiria! fortiſſimi Ducis cineres in vndas è rogo, è flammis in pelagus tracti ſunt. At vero quis ſcit Oceanus forſitan mortalium pectore mitior diſſipatos fluctibus cineres ſua inter eiectamenta iterum ad algas exponet, ac Marcellum fluctuantem dulciſſimis Iaponiæ littoribus iterum reddet.

Sed quam vereor, ne iterum etiam te Iaponica barbaries in vndas abijciat, bis crudelis, bis impia. nulla quies igitur dabitur nec extincto; & qui tot maria tranſmiſit viuus, mortuus etiam nauigabit? ſi qua interim tuis fluctibus, Oceane, clementia eſt, ſi tui vnquam ſcopuli molleſcere, ſi tuæ cautes edicunt, ſi qua poteſt tuo in gelido gurgite ſcintilla pietatis accendi; cum agitas glorioſiſſimos cineres, ac toto pelago diſſipas, cũ illos inter has, & illas oras diſtrahis, ac partiris, in noſtra etiam littora, in patrias etiam arenas pars aliqua conferatur. quem à nobis abſtraxiſti, reduc ad nos: viuentem dedimus, remitte cineres: tranſnatet naufragus puluis, & appellat huc, vbi quæritur, vbi noſcitur, vbi colitur. tum veniam ad amantiſſima littora, & inter eiectas algas optatiſſimi

pul-

pulueris diu, noctuque particulas perſcrutabor. O ſi in tantam prędam offenderem, quas ex aduſto cinere conciperem flammas, quas ex naufrago puluere nauigationes ediſcerem. in illo cernerē, quantum auderet virtus, & quantum poſſet: quam vilis ſit anima, vt profundatur, quam pretioſa, ſi profundatur: poſſe virtutem prodigioſam inter cruciatus viuere, & morte non eximi à cruciatu; & cum gloria immortalis ſit, ideo illam non extingui, vt pati fortia poſt exitum queat.

Verum vbicumque ſint cineres, licet pelago fluctuent, vt Pompeium æmulētur à Septimio in vndas eiectum: ſi tumulo carent, vel ideo carent, quod virtus & mori nequeat, & tumulari; vel quod meliorem tibi Superi conceſſerāt vrnam in familiarium, atque in fratrū pectoribus, in quibus ſimul & tumularis, & viuis. Nobiſcum verſaris, nobiſcū ſedes, Marcelle; intueor auguſtum os, ardentia verba, & animum ad maxima quæque ſemper anhelantem: tua viuida virtus viuit nobiſcum, vt illam & admiremur ſemper, & æmulemur: Oceano fluctuas, vt Oceani fluctus nobis reddas ſereniores, & in Iaponiæ littoribus

ca-

cadis, vt Iaponiæ littora nobis aperias; quæ non habent, quid crudelitatis effundant in tuos, cum tu cruciatibus tuis crudelitatem omnem exhauſeris. tuæ virtuti ceſſit Europa, ceſſit Africa, ceſſit Aſia: vtinam nec Europa nos teneat, nec mergat Africa, nec abijciat Aſia; vt & tuæ victoriæ campum intueri, & tecum pugnare poſſimus, ac tecum non tam Romanum Ducem ſuperare, quam pro Romano nomine occumbere valeamus. Dixi.

Digitized by Google

PROTESTATIO AVTORIS.

IN hiſce meis orationibus, quas hoc libro cõplexus ſum, lector, aduerte, nonn ulla me obiter attingere, quæ ſanctitatem aliquibus videatur adſcribere; perſtringo nonnunquam præſagia quędam futurorum, arcanorum manifeſtationes &c. demũ ſanctimoniæ nonnullis, vel martyrij, videor appellationem tribuere; verum hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica ſede examinata, atque approbata, ſed tanquam quæ à ſola ſuorum autorum fide pondus obtineant. Proinde Apoſtolicum S. Cõgregationis S. R. & vniuerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integre, atque inuiolatè iuxta declarationem eiuſdem Decreti à felic. record. D. N. D. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam, ſeruari à me omnes intelligant. Atque hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua actione, & ſcriptione dirigi.

LAVS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google